









1702

46. Skrykis, Sam. : De testamento principis vel jure oblatio.

47. Skrykis, Sam. : De testamentis corporis militiorum

48<sup>a+b</sup> Skrykis, Sam. : De divortio propter iniurias et hec structas.  
2 Decret. 1702-1728. 2 Decret.

49<sup>a+b</sup> Skrykis, Sam. : De provisione militari 2 Decret.

49<sup>b</sup> Skrykis, Sam. : De provisione militum 8 d. 2.

50<sup>a+b</sup> Skrykis, Sam. : De jure bibliothecariorum. 2 Decret.

57. Skrykis, Sam. : De jure substitutorum

52<sup>a+b</sup> Skrykis, Sam. : De gravamine legitimae 2 Decret.

53. Skrykis, Samuel. : De causis arbitriis circa legata obser-  
vandis

54<sup>a+b</sup> Thomaeius, Christianus : De artis entisorum. 4 Decret.  
1712, 1702, 1730-1740

55<sup>a</sup> Thomaeius, Christianus : De jure proximarum Evangelici.  
area solennia sepulturarum. 4 Decret. 1702, 1702, 1720-1740.

56. Thomaeius, Christianus : De justitia seu censura  
moralium 2 Decret 1702-1723







DISSERTATIO IURIS GENTIVM PRIVATI,  
DE  
**ARRHIS**  
**EMTIONVM,**

Vom

Krauff - Schillinge oder Hassl-  
Pfennige.

PRAESEDE

**DN. CHRIST. THOMASIO, ICto,**

POTENTISSIMI REGIS BORVSSIAE AC REVEREND. ET SERENISS.  
DVCIS SAXO-NVMBVRG. CONSILIARIO RESPECTIVE INTIMO, PROFESS.  
IVR. ORDIN. ET FACVLT. IVRIB. h. r. DECANO,

IN ALMA FRIDERICIANA,

IN AVDITORIO MAIORI,  
PVBLICE DISSE RVT

*Ad D. IX. Septembr. 1702.*

H. L. Q. C.

**IOHANNES CHRISTOPH. ALBRECHT,**  
Rotenburgo-Tuberanus.

---

*Recusa, HALAE MAGDEBURGICAE,*  
TYPIS CHRISTIANI LUDOVICI SYMPHERI, ACAD. TYPOGR.

1740.

(7)

АЯНІМ  
МНОГИЕ

Слово о Господе Иисусе Христе  
Слово о Господе Иисусе Христе

О ГОСПОДИ ИИСУСО



## S V M M A R I A.

**O**biectio: discursum presentem ad Ius Gentium idque pri-  
natum non pertinere, §. I.

Responsio, §. II.

Confusa doctrina multorum de Iure Gentium, §. III.

Ius Naturæ & Gentium synonymous acceptum quid denotet, §. IV.

Distinctio Iuris Naturæ & Gentium secundum Legistas, §. V.

Secundum Autores elegantiores literaturæ. Vbi queritur: an Ius

Gentium sit species Iuris Naturæ, an Iuris voluntarii, §. VI.

Ostenditur Ius Gentium pro lege acceptum esse speciem Iuris na-  
turalis, §. VII.

Si vero accipiatur pro moribus Gentium in actionibus indiffe-  
rentibus, esse Iuris humani, §. VIII.

Non tamen preceptiui, sed permisivi, §. IX.

Quamvis non in rotum abeat a Iure Naturæ, & sit Ius Civile  
pluribus Gentibus commune, adeoque vel publicum vel  
privatum, §. X.

Hoc Ius Gentium ratiocinatione vel indagari, vel eius cogni-  
tionem ratiocinatione multum adiuvari posse, §. XI.

Secus ac Ius Civile stricte dictum, §. XII.

SUMMARIA.

Officium boni interpretis in exponentibus legibus Romanis, quæ vel capita Iuris Gentium repetunt, vel Ius Civile stricte dictum constituant, §. XIII.

Communem neglectum huius officii inde oriri, quod Interpretos magis verba Legum considerent, & in iis aut in brocari- dics quibusdam hærent, quam ut naturam rerum aut intentionem Legislatorum scrutentur, §. XIV.

Hoc virtus etiam laborasse Icos Romanos media Iurispruden- tia, §. XV.

Et ipsum legislatorem Iustinianum, §. XVI.

Illustratio hacenus dictorum ex doctrina de arrha emtionum, & emtione ipsa. Neglectum iuste interpretationis hic multis errores peperisse ostenditur exemplis, §. XVII.

Scilicet, quod quidam putauerint: emtionem venditionem esse contractum Iuris ciuilis, §. XVIII.

Alii: permutationem esse emtionis speciem, & ad essentiam emtionis non requiri pecuniam numeratam, §. XIX.

Alii: in obligationibus faciendi, imo & in emtione debitorem liberari prestanto interesse, §. XX.

Transitus ad doctrinam de arrhis emtionum & summa dicen- dorum, §. XXI.

Emtione perfecta utrobique prestandum, quod promissum est, nec licet alterutri parti pænitere. §. XXII.

Emtione vero imperfecta, & ubi solum pactum est de venden- do, etiam Iure gentium licebit pænitere nec agi poterit ad interesse, §. XXIII.

Cum pacto de vendendo non sunt confundenda conventiones de retrovendendo, aut iure protymisegs & similis, ut que sunt verae emtiones, §. XXIV.

Quam viilitatem prestat arrha datio in emtione, §. XXV.

Scilicet probat emtionem esse perfecte celebratam, §. XXVI.

Deinde dari potest ad interesse mora & simandum, ita tamen;

v

- ut uterque contrahentium insuper adigatur contractum implere, §. XXVII.
- Denique ut arrhis perdi:is rescindatur emtio, §. XXVIII.
- Igitur tum virobique datur quidem arrha in securitatem, sed securitas hac vel plena est vel minus plena, §. XXIX.
- Arrha datur vel ab emtore, vel a venditore, rariſſime ab utroque, §. XXX.
- Arrha vel confiſit in pecunia numerata, vel in corpore, rariſſime in aliare fungibili, §. XXXI.
- Arrha datur vel simpliciter, vel adiecto pacto, quid arrha dato operari debeat, §. XXXII.
- Non tamen datur vel in probationem perfecti contractus, vel in securitatem. Sed bifines coniuncti sunt, §. XXXIII.
- Quoad securitatem tamen vel datur in confirmationem emtione vel in signum reservata licentia paniſſendi, aut impedienda perfidia gratia, §. XXXIV.
- Non nouum in Iure, negotium alias firmum nouo vinculo firmari, §. XXXV.
- Perspicue ostenditur, arrhas, que dantur, ut iis perditis licet ab emtione recedere, & securitatem redadre partem innocentem, & impedire perfidiam alterius, qui paniſſere vult, §. XXXVI.
- Emtio perfecta & imperfecta est vel ex naturae rei & Iure Generum, vel ex conventione partium talis, §. XXXVII.
- Arrha nunquam accidunt emtioni imperfectae, §. XXXVIII.
- Effectus arrha dationis sunt actiones inde oriundae. Ius Generum non est sollicitum de novinibus aut formulis actionum, §. XXXIX.
- Si uterque contractum implet, arrha repetuntur, vel in solutione pretii compensantur, §. XL.
- Si uterque nouo consensu a contractu recedat, etiam arrha repetitur ab accipiente, XLI.

A 3

Quod si

SUMMARIA.

Quod si una pars moras negat, & pœnitere velit, si pactum de effectu arrha in eius datione adiectum sit, agitur secundum Legem pacti, §. XLII.

Si vero arrha simpliciter data sunt, in dubio non presumitur, quod ad confirmandum contractum & coercendam moram accesserint, §. XLIII.

Sed potius ad impediendam pœnitentiam, sicut saltem sub pœna amittendarum arrharum, §. XLIV.

Ex dictis iam explicantur textus iuris civilis de arrha loquenter scilicet §. 1. Inst. de emt. vend. §. XLV.

L. 5. §. 15. de inst. act. l. 35. pr. de contr. emt. l. vlt. delege commiss. l. 11. §. 6. de act. emt. §. XLVI.

L. 2. C. quando lic. ab emt. reced. l. 1. C. de pactis inter emt. & vend. §. XLVII.

Denique l. 17. C. de fide instrum. §. XLVIII.

Obiectioni: Iustinianum ibi non loqui de arrhis emtioni perfecte adiectis, §. XLIX.

Respondet tripliciter, §. L.

Quarta responsio: Iustiniani inaduertentia loquendi in d. l. 17. §. LI.

Quinta: Non infrequens in lute, quod vendere & emere sumatur pro tradere rem venditam, & soluere pretium, §. LII.

Lapsus interpretum in doctrina de arrha, initio circa expounding d. l. 17. porissimum Fabri & Bachouii, §. LIII.

Autores, qui aduersam nostra expositionem sequuntur, §. LIV.

Autores pro nostra, §. LV.

Locus egregius pro nostra ex B. Brunnemanno, §. LVI.

Respondet ad argumentum pro sententia aduersa ex l. 3. & 6. C. de rescind. vend. §. LVII.

Ad argumentum singulare Bachouii, §. LVIII.

Ad id, quod arrha consistunt in re minima, §. LIX.

Ad

S V M M A R I A.

7

*Ad probationem ex textibus Romanis, quod arrha possint er-  
iam accedere emtioni imperfectae, §. LX.*

*Ad casus duos eam in rem a Bacchonio adductos, §. LXI, LXII.*

*Nostram sententiam in Hispania, Gallia & Germania esse pra-  
xi receptam, §. LXIII.*

*Possit tamen Principes recedere a dispositione Iuris Gentium in  
materia arrharum, §. LXIV.*

*Exponitur lex Wisigothorum de arrhis, §. LXV.*

*Lex Batuariorum & capitul. Caroli M. de eadem re, §. LXVI.*

*Tria capitula Iuris provincialis Württembergici arrhas concer-  
nentia, §. LXVII.*

*Obscuritas & alii defectus Iuris illius, §. LXVIII.*

*Aliorum iurium provincialium dispositiones de arrhis, Ham-  
burgensis, Lubecensis, Wormatiensis, Palatini Rhenani,  
& Prussici, §. LXIX.*

*Obscuritates Iurium provincialium in doctrina arrharum morta  
ex confusione rerum diversissimarum, §. LXX.*

*Weinkauff & Gottespfennig apud Germanos quid?  
§. LXXI.*

*Hac duo insigniter ab arrha differre, §. LXXII.*

*Lentkauff, Leykauff, etiam non est arrha, neque certum;  
an sit idem cum Weinkauff, §. LXXIII.*

*Zäfgeld, Zerdgelt pariter cum arrha confusum, & postea  
ad colorandum errorem Zäfgeld mutatum in Zäfgeld,  
§. LXXIV.*

*Connivenientissime arrha Germanice redditur Reukauff, aliud  
tamen Reukauff geben, aliud Reukauff bedingen,  
§. LXXV.*

*Transitus ad reliquas sententias interpretum de arrha,  
§. LXXVI.*

*Questio frustanea & inutilis: an arrha sit contractus nomi-  
natus, an innominatus? §. LXXVII.*

inutilis

*Inutilis diligentia tradendi accuratam definitionem arrhae,  
§. LXXVIII.*  
*Divisio[n]es inutiles arrhae, §. LXXIX.*  
*Inutile disquirere sollicite: an mutuo dari possint arrhae?  
§. LXXX.*  
*Item, an quis dare possit per alios? §. LXXXI.*  
*Monita circa requisita Dd. de rebus in arrhas dandis,  
§. LXXXII.*  
*An valeant arrhae promisse saltem nondum tradita? Questio  
inutilis, §. LXXXIII.*  
*Lapsus Lauterbachii in probando asserto, quod hodie ex pa-  
cto de vendendo non detur actio, §. LXXXIV.*  
*Etiam a conditionali emtione recedi posse cum dispensio ar-  
rharum, §. LXXXV.*  
*Cuius sit periculum arrhae perientis? §. LXXXVI.*  
*Frustranea questio: an licet cum dispensio arrharum recedere  
ab emtione in scriptis celebranda ante scripturae perfe-  
ctionem, §. LXXXVI.*

B. C. D.

DISSERTATIO IURIS GENTIVM PRIVATI

DE

## ARRHIS EMTIONVM.

§. I.

**M**irabuntur haud dubie plerique, tituli differ-  
entiationis nostraz primas saltem lineas intuen-  
tes, quod de Arrha Emtionum disputaturi,  
ad Ius Gentium discursus materiam retule-  
rimus, & quidem ad Ius Gentium priua-  
tum, cum tamen in confessio sit, doctrinam de contra-  
stibus

Ctibus ad Ius Ciuale pertinere, & ad controuersias de meo & tuo, & Ius priuatum esse Iuris Ciuilis speciem, Ius autem Gentium magis ad controuersias pertinere, quæ gentibus inter se competitunt, adeoque magis negotia publica, videlicet rerumpublicarum, quam priuata singulorum concernunt.

§. II. Sed ad ista quidem multipliciter responderi posset, si nobis liceret esse prolixioribus. At sufficiant nunc duo verba ex ipso Iuris nostri Corpore, & initio Institutionum ac Pandectarum. Collectum est Ius nostrum ciuale, & imo vel maxime priuatum ex præceptis naturalibus etiam, & gentium, & contractus omnes pene sunt Iuris Gentium, excepta stipulatione, & quibusdam paucis aliis, quibus arrha non solet adiici. Contractus autem sunt iuris priuati, ergo sunt etiam Iuris Gentium priuati.

§. III. Cæterum, cum multi hodie de Iure Gentium multa inconuenienter clament, parum vel nihil de Iure gentium intelligentes, ex quorum doctrinis confusi redduntur dissentient animi: ut confusio hæc a nobis evitetur, & res in ordinem redigatur, ita paucis dicendum esse videtur.

§. IV. Ius Naturæ & gentium vel synonymice usurpantur vel ab inuicem tanquam species distinctæ secernuntur. Priori casu utrumque Ius iisdem ambiguitatis est obnoxium, eodemque modo in diuersas species diuiditur, & denotat omne id, quod apud omnes homines iustum & decorum est, siue fit lege præceptum, siue moribus usurpatum, prout id ratione recta cognoscitur, vel exinde bona consequentia deducitur. Nam ratione cognitionis dicitur Ius Naturæ, ratione usurpationis Ius Gentium, quasi quo iure omnes gentes vtuntur.

B

§. V.

§. V. At quando Ius Gentium & Ius Naturæ inter se secernuntur, aliter id fieri solet apud Legistas, de expositione Institutionum sollicitos, aliter apud autores bonos & elegantiores, ac eorum interpretes. Illorum somnia de Iure Naturæ & Gentium primæuo ac secundæuo prætermitemus, nequæ enim nostra interest, canticos Tribonianii & Dorothei, male ex diuersis autoribus confutos, aut etiam doctrinam Stoicorum de primis & secundis Naturæ exponere & saluare, sed cum meliora & saniora principia nobis supersint, relinquamus istos cum simulata atque consarcinata sapientia.

§. VI. Apud Historicos frequens est mentio Iuris Gentium, quod & saepe a Iure Naturæ secernere solent. Rationes igitur differentiae inter hæc duo Iura cum novioribus temporibus post virum summum Hugonem Grotium, alii viri præclari, de restituenda morum & civili Philosophia solliciti tradere allaborant, fere diffentire solent, utrum Ius Gentium sit species Iuris Naturæ, & sub hoc continueatur, an vero sit plane diuersa species Iuri Naturæ contradistincta, ad Ius videlicet hominum voluntarium pertinens? Multa hic in utramque partem disputari solent, & fusi disputari possent; sed placet rem in sumمام contrahere & modos conciliandi oppositas sententias ostendere.

§. VII. Si per Ius Gentium intelligitur Lex & præceptum Iustitiae, quod si violent Gentes, ex ista violatione parti læsæ oriatur Ius Belli, quale Ius Gentium communiter esse dicitur Legatorum iniuiolabilitas; tum Ius gentium non est diversa a Iure Naturæ, sed certa potius legis naturalis species. Et tum, qui id ad species Iuris voluntarii humani referre, atque vel ex doctrina de pactis sive expressis sive tacitis, vel ex doctrina de consuetudine sententiam suam deducere allaborant, nihil

hil agunt, prout Dominus Præses id iam in libro I. In-  
stit. Iurispr. Diuin. monstrauit.

§. VIII. Quodsi autem per Ius gentium, vt sæpe  
fieri solet, intelligantur mores gentium quoad varias  
actiones humani generis Lege non præceptas, nec pro-  
hibitas, ex ordine & decore gerendas, tum Ius gentium  
non potest esse species Iuris Naturalis, vel ideo, quia Ius  
Naturale hic nihil determinauit, h. e. nec præcepit ali-  
quid, nec prohibuit; nec tamen etiam accurate loquen-  
do est eius conspecies, quia tum Iuris vocabulum aliter  
sumitur, cum de Iure Naturæ dicitur, nempe pro lege;  
aliter, cum de Iure gentium, nempe pro moribus, & in-  
de oriundo iure permisso seu attributo personæ. Ma-  
gis igitur ius gentium in hoc significatu est iuris humani,  
quia homines sunt in genere decori autores, & quia gen-  
tes vñ exigente & humanis necessitatibus talia Iura con-  
stituerunt, veluti est erga DEV M religio, (i. e. ceremo-  
niae cultus externi,) introductio bellorum, discretio gen-  
tium, conditio regnorum, distinctio dominiorum, com-  
mercia, ædificia, contractus, manumissiones, seruitutes  
&c. Conf. l. 2. 4. 5. ff. de Iust. & Iure. Huc pertinent et-  
iam suo modo quedam capita de iniurialibilitate lega-  
torum, v. g. quod Legatus etiam delinquens non sit vio-  
landus, quod ædes Legatorum habeant Ius asyli, &c.

§. IX. Quemadmodum autem Dominus Præses iam  
dudum in disputatione de Iure consuetudinis & obser-  
uantiae perspicue ostendit, ex moribus nullis qua talibus  
Ius obligationis oriri, sed saltē eos producere ius im-  
punitatis & efficaciac, idquæ iis argumentis factum est, vt  
haec tenus nemo repertus sit, qui communem errorem,  
quod consuetudo cogat alium, vt actiones suas secun-  
dum consuetudinem instituat, defenderit, nec video  
etiam, quo colore ulterius ea sententia defendi possit;

ita multo maior adhuc est eorum error, qui hoc Ius gentium pro moribus acceptum, putant producere vim obligandi, ita, vt, qui contra faciat, v. g. legatum delinquentem violet, asylum deneget legatorum ædibus, commercia nolit habere cum aliquo populo, quædam Iura circa acquisitionem dominii luris gentium aut circa contractus mutet, contra Ius Naturæ peccet, aut iustum causam belli præbeat. Neque enim gentes vñquam habuerunt potestatem, tales Léges condendi, neque vñquam condiderunt, neque imitatio inter pares natura sua idonea est, vt obligationem producat. Vno verbo: quorsum te vertas, nihil adferre potest aduersa sententia, quam scopas dissolutas & arenam sine calce.

§. X. Neque tamen ex altera parte putandum est, quasi hoc ius Gentium plane abeat a recta ratione, sed potius de eo, saltem in plerisque exemplis, commode dici poterit, quod Vlpianus l. 6. ff. de I. & I. de Iure ciuili affirmat, quod videlicet hoc Ius gentium neque in totum a naturali iure recedat, nec per omnia ei seruiat, sed aliquando aliquid addat Iuri communī, aliquando detrahatur. Imo accurate loquendo hoc Ius gentium nihil aliud est, quam Ius Ciuale pluribus gentibus communne, vti Ius Ciuale strictum est Ius proprium alicuius ciuitatis. Non mirandum adeo est, quod hoc Ius Gentium sit vel publicum, vel priuatum. Nam omne Ius Ciuale ita diuidi potest.

§. XI. In hoc igitur Iure gentium cognoscendo non opus est, singularum gentium historias, & rituum descriptiones inspicere ad minutias usque. Nam quæ communem usum apud gentes habent, communiter etiam ex communi causa ortum ducunt, quæ etiam saepius ratiocinatione vel indagari vel certe multum adiuvare

uari potest. Est enim in multis actionum generibus non infirma connexio, ita ut uno cognito multa sequantur, partim ex regulis æqui, partim ex regulis decori, partim ex communi intentione hominum talia negotia celebrantium, quæ postea dicuntur non male ex negotii natura, aut ex regulis aequitatis, aut ex re ipsa profluere. Ita v. g. semel introducta dominiorum distinctione, opus fuit contractibus & commerciis, ita bella ne-xu spontaneo secutæ sunt seruitutes, has manumissiones, &c. Ita ex natura emtionis fluit, ut præstetur eu-iatio &c.

§. XII. Magis opus est indagare historias Iuris ci-vilis stricte dicti ex Legibus & moribus singulorum po-pulorum, quia hic ratiocinatio a moribus aliarum gentium non est sufficiens, cum hic causæ Legis & morum singularium non sint communes æqui vel decori regulae, aut communis intentio hominum, sed vel particu-laris utilitas huius populi, vel etiam singularis subtili-tas aut ratio status &c. Ita v. g. manumissiones qui-dem sunt Iuris Gentium, sed Legis Fusia Caniniæ & Ælia Sentiæ rationes ex Historia Romana inquirendæ sunt: Ita, dum patria potestas dicitur esse Iuris civilis Romanorum, non sufficit nosse mores gentium circa patriam potestatem, sed ex antiquitatibus Romanis intel-ligere quis debet, quænam hic ex ratione domestica ad-diderit vel detraxerit moribus gentium ratio status Rei-publicæ Romanæ. Ita in contractibus doctrina stipula-tionis, eiusque differentia a pacto nudo, requirit pecu-liarem notitiam ex Legibus Romanis hauriendam, cur hic Romani in multis recesserint a moribus aliarum gentium. Ita in doctrina de testamentis, quæ & ipsa non sunt Iuris gentium, sed ab Atheniensibus ad Ro-manos translata sunt, indagandum est, qua ex ratione

B 3

Athe-

Athenienses a moribus aliarum gentium, etiam Græcarum, recellerint, qua ex ratione Leges Romanæ multa hic & pro diuersitate temporum varia addiderint &c.

§. XIII. Cum itaque Leges Romanæ multa capita ex Iure Naturæ aut moribus Gentium repeatant; multa etiam capita prioribus Iuribus addentia aut detrahentia inculcent, ratio iusta interpretationis utroque quidem id vult, ut scire Leges non hoc sit, verba & eorum significationem nosse, sed intelligere vim & potestatem; sed tamen in specie quoad Leges pure ciuiles id iustis interpretationis regulis conveniens est, ut ante omnia Interpres nouerit occasiones Legum datarum, intentionem Legislatorum, &c. & secundum has verba legum exponat, restringat, extendat. At in capitibus Iuris gentium vel naturæ requiritur, ut prudentia Iuris naturalis & gentium instructus quis sit, & ex natura rei magis legem explicet, quam ut verba Legum torqueat ad sensum, naturæ rei & moribus gentium repugnantem.

§. XIV. Sed quia plerique interpretes legum ciuium solidis Iuris vniuersalis fundamentis destituuntur, hinc factum est, ut in utroque legum genere rem inuerso plane ordine aggrediantur & in lege pure ciuili ex verbis velint inconuenienter eruere occasionem & intentionem Legislatorum saepissime latenter, in capitibus autem ex Iure gentium vel naturæ repetitis ex captatione verborum aut brocardicorum quorundam quarant expositiones, a ratione recta & natura rei plane recedentes, & postea dum aqua hæret, in ratione interpretationum reddenda vel absurdis plane & ineptis ratiunculis impleant dissentium animos, vel etiam ad legem: Non omnium. ff. de legibus configuant, & in ea asylum partim ignorantia, partim affectata & vimbratilis sapientia quarant, & sic Ius in se satis certum interpretatione.

tationibus eiusmodi inconuenientibus reddant incertissimum.

§. XV. Non mirandum tamen est, interpres non viores iuris hoc nō uero laborare, cum eodem ægrotauerint variis ex causis, quas hoc loco indagare præter institutum est, ipsi ICti Romani, veteres etiam illi, & qui alias artem Iurisprudentia probe callebant. Ita, cum in doctrina de specificatione casus fere omnes sint de re fungibili, in quam ex natura rei non cadit affectio, adeoque Index regulariter debeat pronunciare pro specifikatore; neglectus naturæ rei, & consideratio aliarum regularum huc non pertinentium, v. g. quod nemō cogatur iniurias rem suam vendere, quod forma non possit esse sine materia, quod forma det esse rei, &c. seduxit prudentissimos alias viros, ut alii pro auctore nouæ speciei, alii pro domino materiae indistincte pronunciauerint. Vtrobique inconuenientissime, ut latius ostendit Dominus Præses in dissert. de pretio affectionis in res fungibles non cadente.

§. XVI. Quodsi ipsi Legislatores iisdem nævis subiecti sint, miserior & incertior redditur Iurisprudentia, præprimis, si ius emendare aut dubium Iuris articulum definire velint. Sic eodem loco ex eadem ratione ostensum est, Iustinianum illam litem inter Sabinianos & Proculeianos de specificatione infeliciter emendare voluisse, eligendo medianam sententiam Gaii æque inepte distinguenter, an species noua possit reduci ad pristinam materiam, nec ne? Ita, ut proprius ad rem veniamus, manumissiones Iuris Gentium sunt, modi manumittendi & aliæ circumstantiae Iuris ciuilis. Pertinet ad Ius Ciuale Romanorum Lex Aelia Sentia de manumissione minoris viginti annis, Lex item Fusia Caninia. Vtraque lex, si rationes inquiras, ex fragmentis

Vlpiani,

Vlpiani, Pauli aliorumque autorum huc pertinentium, prudenter utique ex iusta status Romani ratione lata erat. Sed harum rationum stupidissime ignari collectores Iuris Iustinianei quam ineptiunt, & quam turpiter sacram Iurisprudentiam prostituunt, dum Leges illas ex ratione naturali, & ex Iure Gentium corrigunt.

§. XVII. Illustrabimus vero haec tenus dicta in praesenti paulo distinctius ex doctrina de arrha contractui emtionis adiici solita. Est adiectio arrhae in hoc contratu non Romanis propria, sed cum aliis gentibus communis, ut ipse contractus emtionis Iuris Gentium est. Vbi igitur Iustinianus Iuris Gentium capita hic repetit saltem, vt fere in omnibus capitulois id factum est, paucissimis exceptis, (qualia sunt de stipulatione duplae in praestanda euictione, de laesione ultra dimidium, & si quae forte sunt similia,) conuenientissime sensum Legum enucleabis, si primo questionem ex rei natura consideres & moribus gentium, eamque quasi clauso corpore Iuris ipse definias, tum ipsum textum Legum Iustinianearum perpendas. At si negligas rem ad sensum quasi communem & dabilitatem casuum examinare, & verba rodere, ac ex illis brocardica quædam formare incipias, incides in labyrinthum, ut certissima quæquam dubia euadant & inexplicabilia. Liceat, antequam arrha doctrinam proprius consideremus, rem illustrare adhuc aliquor exemplis, simplicissimas veritates in doctrina emtionis spectantibus.

§. XVIII. Emtionem venditionem esse contractum Iuris Gentium, h. e. apud plerasque gentes, si non omnes, usitatum, vel Miles aut Medicus, & si qui sunt alii homines sanæ mentis, quibus arcana Iuris Iustinianei alias curæ non sunt, non solum non diffitebitur, sed & scire se & in explorato habere dicet. Accedit ipse clarus & perspicuus textus

in

in l. s. ff. de inst. & inre; vnde repetit Tribonianus in §. 2. Inst.  
de I. N.G. & C. Nihilominus tamen hic dissentire Glossam in l.  
eas verb. pro dote de cap. minut. & Mud. ad l. i. de contr. emt. n.  
6. notat Treutlerus vol. i. aiss. 28. th. i. lit. D. eosque statuere  
asserit, quod primum in emtione accesserit a Iure Civili. Hos  
haud dubie seduxit, quod non naturam rei & mores gentium  
primo spectauerint, sed putamina verborum manducauerint in l. i. ff. de contrah. emt. ybi sapienter quidem Paulus, si  
ex moribus gentium verba eius exponas: *Origo*, inquit, *emen-  
di vendendique a permutationibus capit.* *Olim enim non ita  
erat nummus* (in vsu, apud gentes simpliciter viuentes &  
absque luxu,) *neque* (adeo in permutatione) *aliud merx,*  
*aliud pretium vocabatur*, *sed unusquisque secundum utilitatem tem-  
porum ac rerum utilibus inutiliapermutabat.* *Sed quia* (postea  
aucta luxuria, & recedentibus gentibus a morum simplici-  
tate,) *non semper nec facile concurrebat*, *vt cum tu haberet, quod  
ego desiderarem, iuicem haberem, quod tu accipere velles, electa*  
(a gentibus) *materia est*, *cuius publica & perpetua estimatio diffi-  
culturibus permutationum aequalitate quantitatis subveniret, eaque*  
*materia forma publica percussa* (i. e. nummus) *usum dominium*  
*que non tam ex substantia prebet*, (i. e. ex materia) *quam ex*  
*quantitate* (i. e. valore) *nec ultramerx virrumque* (vt in permu-  
tatione,) *sed alterum* (nummus) *pretium vocatur.* Vides,  
quam pulchre originem emtioniis apud Gentes describat  
Paulus, si rem prius ex natura rerum & moribus Gentium  
pensites, & postea mentem Pauli exinde illustres. At dis-  
sentientes neglecta hac meditatione in verbis hæserunt, vt  
muscae in pice, & sic non potuerunt non Paulum exponere,  
quasi id voluerit: *Permutationem ex Iure Gentium esse, emtio-  
nem ex Iure civili*, & adeo non animaduerterunt, quod Paulus  
ibidem §. 2. disertis verbis dicat, emtione esse Iuris  
Gentium.

§. XIX. Similis est ratio questionis, quæ priori valde  
affinis est. Si rem ex natura sua & moribus Gentium consi-  
deres,

deres, patebit, permutationem & emtionem esse distinctos  
contraictus, nullamque inter illos esse maiorem differentiam,  
quam quod in emtione sit pretium, hoc est, nummus, seu  
pecunia numerata, in permutatione non sit. Vnde, cum  
nummus ita sit de essentia emtionis, ut sine eo nullo modo  
emtionem concipere possis, in emtione vero permutentur  
merx & pretium, illud sequitur, non esse tantam loquen-  
di inconuenientiam, si emtionem dicas esse permutationis  
speciem, quam si permutationem ad emtionem referas. At-  
tamen hoc non obstante Sabinus & Caesius, qui neglecta  
inspectione rei doctrinam de emtione ex Homero discere  
voluerunt, verba eius nonnulla in epte captantes & emtio-  
nem absque pretio posse esse affirmarunt, & permutationem  
esse emtionis speciem dixerunt. Ut notat idem Paulus d.l.  
1. §. 2. vnde excerptus est s. 2. Inſt. eod. tit.

§. XX. Porro moribus omnium Gentium ex ipso di-  
ctamine rectae rationis receptum est, promissa esse seruanda,  
& adeo Iudicis officium esse, ut nolentem satisfacere obliga-  
tioni sua remediis legitimis ad satisfactionem adigat. Nul-  
la hic distinctio inter obligationes dandi & faciendi. Cur  
enim magis liceat fidem fallere, si facere aliquid promise-  
rim, quam si dare. Illud tamen ex natura negotiorum sa-  
pe accidit, ut si quis rem promissam dare distulerit, postea  
mili non amplius utile sit rem accipere; saepius contingit,  
ut si factum promissum debito tempore non praestetur, ut  
postea nullam utilitatem exinde percipere possim. Imo non  
raro evenit, ut promittens post fidem laesam in eo statu sit,  
ut non possit amplius dare vel facere, quod promiserat. Er-  
go ut non impune fidei datæ violationem ferat alter, Ius  
Natura & natura negotiorum exigunt, & mores Gentium  
respondent, ut in laesi arbitrio sit, utrum agere velit ad im-  
plementationem promissi, utrum ad interesse, ita ut Iudex, si lae-  
sus posterius eligat, laedens autem paratus sit rem adhuc  
dare, aut factum praestare, non laedentem audiat, sed secun-  
dum

dum peritum læsi debeat lădentem ad interesse condemnare. Et revera ridiculum esset, & æquitati omni repugnans, si in arbitrio lădentis esset, utrum fidem datam adimplere, an alteri interesse præstare velit. Sed vide iam, quid pepere-  
rit negligentia principiorum sanæ mentis & sensus commu-  
nis, & præcipitata interpretatio verborum Iuris Romani.  
Multi doctorum, iisque non vulgares, cum frequenter in  
Legibus Romanis legerent, quod contrahentes, si fidem ser-  
uare nolint & facta promissa præstare, debeant ad interesse  
condemnari, effinxerunt regulam illam vulgatam, sed per-  
dicta nullius momenti, quod ea sit differentia inter obliga-  
tiones dandi & faciendi, ut in illis quidem debitor præcise  
adigendus sit ad dationem, nec liberetur præstando interes-  
se, in obligationibus autem faciendi electionem habeat, an  
dare, an interesse præstare velit. Imo alii semel admisso hoc  
absurdo in aliud prolapso sunt, afferentes videlicet, nec ven-  
ditorem præcise teneri ad tradendam rem, sed liberari præ-  
stando interesse, quia traditio facti sit, &c. vid. Vlr. Huber.  
prælect. ad Inst. tit. de V. O. & ibid. in posit. n. 24. Dn. Præsid.  
in fine prefat. ad suam posit. Huber. edit. Cyprian. Regner.  
disput. 18. ad Instit. th. 4. Treutl. vol. 1. disp. 28. th. 2. lit. c.  
Anton. Fabr. decad. 85. err. 4. & alios ab istis citatos.

§. XXI. Non mirum adeo, quod & in doctrina de  
arraha multæ difficultates ortæ sint, quod certe factum non  
fuerit, si interpretes ante inspectas leges Iustiniani consi-  
derassent naturam rei & mores Gentium. Non expectabis  
vero plenam de arrhis tractationem. Neque enim dicimus  
de arrhis sponsaliciis, neque de arrhis reliquorum contra-  
etuum, sed de solis arrhis solliciti erimus, quæ solent in em-  
tione venditione dari. Hic igitur sic versabimur, ut initio  
quasi clauso Iuris Iustiniane Corpore naturam emtionum  
& mores hominum consideremus, atque exinde, quæ circa  
arrhas notanda sint, exponamus, tum, ut aperto Corpore  
Iustinianeo ostendamus conuenientiam Legum cum no-  
stris

stris assertionebus, & lapsu ac dissensiones interpretum in verborum sonitu hærentium. Dicemus autem initio de occasione arrhas dandi in emtione venditione & intentione eorum, qui arrhas dant. Postea modos diuersos arrhas dandi considerabimus. Tum ostendemus, regulariter non nisi emtionibus perfectis arrhas accedere solere. Denique, quæ Ius ex arrharum datione oriatur, monstrabimus.

§. XXII. In omnibus actionibus humanis recte diuidicandis opus est viro sapienti, vt de origine earum sit sollicitus. Quid occasionem arrhis emtionum dederit, non melius possumus inquirere, quam si emtionis arrhis nudata naturam consideremus. Arrha enim est accessio emtionis, & haud dubie emtio venditio potest sine arrha subsistere. Emtio venditio vt alii contractus, quamprimum perfecte consensum est de merce pro certo pretio tradenda, parit utrinque obligationem ad adimplendum, quod promissum est. Non ergo poterit pœnitere emtor, non vendor perfecta emtione, sed fides utrobique est seruanda: Debet emtor compelli a Iudice ad premium soluendum cum interesse moræ: debet vendor compelli ad rem tradendam, nec audiendus est, etiamsi emtori duplum pretii offerat. Est enim officium Iudicis, vt adigat partes, quo fidem datum impleant, nec aliud pro alio soluere inuitio creditore licet.

§. XXIII. At si emtio venditio non est perfecta, h. e. si merx non est determinata, si de pretio non est conuentum, etiamsi pactum sit de vendendo, utriusque parti impune licet pœnitere etiam de Iure Gentium. Etsi enim ratio sibi relictæ & mores Gentium ignorent differentiam Iuris Romanæ inter pacta & contractus adeoque etiam velint, fidem seruari in quolibet promisso, etiamsi nomen specialis aliquius contractus non habeat, aut damnum ex fidei violacione alteri datum resarciri, (v. g. si tibi promiserim centum mutuo dare, si promiserim equum commodaturum esse, si pactum

pactum permutationis inierim, &c. & postea non demutuum aut commodatum, non velim permutare, &c.) in pacto tamen de vendendo evidens ratio est, cur apud nullum populum ex eo possit actio concedi, vti ex nullo pacto contractum consensualē p̄cedente, quia tum nondum consensum est in negotium certum, sed adeo saltem consensus vagus ac incertus, qui natura sua non est aptus natus ad actionem producendam. Ad quid etiam ageret alter? Ad contrahendum? Ita vero qui vendere nollet, premium postulare posset enorme, vel conditiones addere quas cunque mihi non placituras; ille autem, qui emere nollet, offerret premium vilissimum, vel etiam conditiones non placituras. Ad interesse? Quomodo vero possem interesse aliquod petere, si vel merx vel premium non sint certo determinata, si non possim alterum iuste accusare, quod fidem datam violauerit, sed alter semper offerendo se ad contrahendum possit talēm legem contractui dare, vt in me potius culpam reiiciat contractus non perfecti: Alia ratio est pactorum, quae p̄cedunt contractus, qui reales dicuntur, & pactorum in contractibus, qui innominati dicuntur, cum ibi & possit esse negotium aliquod consensu determinatum, quod peti possit, & adeo interesse etiam fidei laſſimari.

§. XXIV. Igitur non confundenda sunt cum pactis de vendendo, locando, &c. pacta de retrouendendo aut Iure protimiseos. Illa enim, si contractui emtionis non adiiciantur, sed seorsim celebrentur, sunt reuera emtiones perfectae, sed conditionales, eum videlicet sensum habentes: vendo tibi fundum pro tanta summa, si mihi eam intrantum tempus obtuleris: vendo tibi fundum pro tanta summa, quantam, si aliquando alii eum venditurus sum, mihi is promiserit. Ita &, si promittam tibi, quod vendere velim tot modios frumenti, pro pretio, quanti singuli modii vendentur communi pretio illo vel isto tempore, non est

C 3

pactum

paustum de vendendo, sed venditio perfecta, vbi saltem determinatio pretii suspensa est ex certo tempore, &c.

§. XXV. Cum igitur perfecta emtione recedi non possit a contractu, non perfecta vero pœnitentia locus sit, videbatur euidem nullus vsus esse arrharum, cum non possint confirmare negotium imperfectum, perfectum nulla confirmatione indigear, nec firmior fiat contractus emtione venditionis per arrhas datas quam erat antea. Sed rem tamen penitus perspecta, arrharum datio non parum utilis, nec sine ratione visa fuit Gentibus, idque varias ob causas.

§. XXVI. Initio enim saepe dubitatur, an emtio venditio sit perfecta, nec ne. Solent enim saepius, etiam si & de pretio & de merce partes conuenerint, pacta adiici, quibus vel emtor vel venditor spatium deliberandi, adeoque pœnitendi sibi reseruant, inter quæ illud est eminens, ut conueniant, quod non ante velint obligari firmiter, nisi emtio sit in scripturam redacta. Igitur arrha dari solent in signum perfectæ emtioni, hoc est, ut postea, si arrha datae sint, non licet alteri exceptionem opponere, ac si emtio nondum fuerit perfecta, sed arrha datio & acceptio probent firmiter emtione fuisse perfecte celebratam.

§. XXVII. Deinde post contractum emtioni perfectum moras saepe necit venditor, & non vult rem tradere; moras saepe necit emtor, & non vult premium dare. Moram autem qui facit, alteri interesse moræ præstare debet, & insuper fidem datam seruare. At interesse saepius difficulter probatur. Vtile igitur tum erit, arrham dare, qua interesse aestimetur ad instar stipulationis pœnalis, ut si venditor arrham dederit, & intra certum tempus rem non tradat, arrham amittat, & tamen cogatur rem tradere, aut si emtor arrham dederit & constituto tempore pecuniam non soluat, arrham perdat, & cogatur tamen integrum premium soluere.

§. XXVIII. Poterit etiam ad coercendam alterius perfidiam

fidiam eo modo arrha dari, vt si emtor non soluat premium certo tempore, is arrham perdat, & rem venditam vendor retineat, ac ita rescindatur venditio. Vice versa, vt si vendor intra certum tempus rem non tradat, rescissa emtione arrham perdat, aut si eam ab emtore acceperit, vt duplicatam reddat.

§. XXIX. Patet igitur utroque illo casu, quem §. 27. & 28. retulimus, arrham dari in securitatem emtioni, non solum in probationem, ita ut arrha velut pignus sit fidei datæ. Non tamen inde inferre licebit indistincte, quod arrhis datis non liceat ab emtione recedere. Nam securitas illa duplex est, vel plena, si arrha detur, vt plane non liceat ab emtione recedere, sed ea saltem aestimet interesse moræ secundum dicta §. 27. vel est minus plena, vt liceat quidem recedere, sed non impune, si videlicet arrha dentur in aestimationem totius, vt ita loquar, fidei ruptæ secundum dicta §. præced.

§. XXX. Ex dictis autem sua sponte fluit explicatio secundi membris discursus nostri, quot modis scilicet arrhæ dentur, & contractui emtioni adiciantur. Nimirum eam dare solet vel emtor vel vendor. Ut uterque arrhas det, consuetum haud est, neque natura negotii patitur, præprimis, si certa pecunia summa loco arrhæ detur. Quodsi corpus loco arrhæ detur, posset quidem contingere, ut utrobique dentur corpora diuersæ aestimationis, e. g. vt vendor emtori arrhæ loco annulum, emtor venditori equum det. Sed & vix tamen est, ut hic modus pacisciendi obtineat. Imo si penitus inspicias mores hominum, raro vendor arrhas dat, sed regulariter eas ab emtore accipit.

§. XXXI. Habes itaque secundum modum arrhas dandi diuersimode. Vel enim dantur arrhæ in pecunia numerata, vel in corpore certo, sub quo hoc loco comprehenduntur etiam res aliae fungibles, ut vinum, oleum, frumentum, &c. et si alias quantitatum nomine venire, & corporibus

ribus opponi soleant. Quamuis rarissimum sit, ut præter pecuniam aliæ res fungibles arrharum loco interuenire soleant.

§. XXXII. Porro arrhæ dantur vel simpliciter, ita, vt de effectu illarum nihil exprimatur, vel cum pacto, ex quo appareat, quid arrharum datio operari debeat. Priori casu res plana est, nec aliud hic spectandum iudici; quam ut pacta seruentur. Posteriori casu coniecturis opus est, ex quibus index coniiciat, vtrum recedere liceat a contractu, perditis arrhis, an insuper contractus sit implendus.

§. XXXIII. Etsi enim in præcedentibus dixerimus arrhas dari partim probationis, partim securitatis causa, non tamen inde formandi sunt diuersi arrhas dandi modi, ac si, cum probationis causa dantur, non dentur simul in securitem, & si securitatis causa dentur, non veniant in probatōnem emtionis contractæ. Sed cum & in aliis negotiis vnius rei plures esse possint fines, solet etiam in arrharum datione duplex hic finis regulariter coincidere, vt nimirum & probetur per arrha dationem contractus emtionis, & alter promissio satisfacere nolens arrhæ amissionē coercentur.

§. XXXIV. At cum duplēcē recensuerimus securitatis speciem §. 29, plenam & minus plenam, inde duplex etiam nascitur ac diuersus modus arrhas dandi. Velenim dantur confirmandi contractus gratia, vbi scilicet id agitur, vt & arrha perdatur, & contractus seruetur, vel in signum saltem referuatae licentiae pœnitendi, sub dispendio arrharum, aut, si mauis, impediendæ perfidiæ gratia.

§. XXXV. Quod priorem modum attinet, non obstat, quod supra diximus §. 23, inutile videri, ut contractus iam firmus vltius confirmetur. Multi enim sunt modi in Iure recepti, vt negotia alias firma melioris securitatis gratia vinculo aliquo corroborentur. Ita stipulatio apud Romanos accedere poterat contractibus etiam aliis melioris  
con-

confirmationis gratia: ita stipulatio poenalis magis firmat stipulationes dandi in se iam subsistentes. Ita pignus etiam Iure Gentium accedit mutuo iam per se firmo melioris securitatis causa. Ita eodem Iure Gentium iuramenta accedunt promissionibus, antea iam firmissimis. Et cui non notum est vulgare illud: Duplex vinculum fortius ligare, quam simplex.

§. XXXVI. Posteriorem vero modum quod concer-  
nit, videtur is prima fronte involuere contradictionem mo-  
ralem. Diximus enim arrhas probare emtionem perfe-  
ctam, ab emtionibus vero perfectis non posse recedi, et  
iam si duplum pretii velit offerre venditor, & arrhas etiam  
hoc modo dari in maiorem securitatem contractus. Quo-  
modo vero maior securitas ea dici potest, qua indulget  
vtrique contrahentium, vt si modo arrham velit perdere, pos-  
sit recedere a contractu, a quo recedere non posset, si arrha  
fuerit data? Sed non difficilis est ad ista responsio. Potest  
venditor arrhis non datis saepe impune recedere a contractu  
emtionis etiam perfecto. Initio enim, præprimis si emtio  
fuerit sine scriptis celebrata, & nulli testes exhibiti, poterit  
prætendere, fuisse saltē paclum de vendendo, & nudos  
intercessisse tractatus. Et difficile saepe est contrarium fir-  
miter probare. Hic igitur securum reddit datio arrharum  
partem innocentem, vt si eam probauerit, istud effugium  
evitetur, ne saltē tum impune alter recedere possit. De-  
inde potest rem alii vendere & tradere, aut alio modo in-  
capax redi, vt ipsi impossibile sit contractum adimplere.  
Et si vero tum emtori detur actio emti ad interesse, difficilli-  
mum tamen est interesse probare, vnde plerque actiones  
ad interesse sunt inanes. Igitur & tum non impune recederet  
venditor, & maiorem securitatem emtori dabit arrhæ datio,  
quia tum duplicates eas reddere cogetur venditor. Simi-  
lis est ratio emtoris. Potest & hic prætexere, emtionem  
non fuisse perfectam, potest fieri non soluendo, præprimis

D

si de

si de toto pretio fides ei habeatur. Arrhae igitur datae vtroque securiorem reddent venditorem. Cum igitur emtio sit contractus æqualitatem intendens, si tantundem in merce accipiat emtor, quanti pretium est, cum nemo facile præsumatur iacturam velle bonorum suorum facere, quam tamen intuitu arrharum patitur, quia contractu recedit, facile patet, & hoc etiam casu, vbi arrhis amissis recedere licet a contractu, securiorem reddi partem innocentem, cum & lucretur arrhas, & merce vel pretio retento nihil amittat, & simul impediri alteram partem ad violationem fidei inclinantem, cum eo modo nihil lucretur, sed potius iacturam arrharum patiatur.

§. XXXVII. Diximus sapienter arrhas accedere emtioni perfectæ. Antequam igitur ad effectus arrharum datarum progrediamur, ante omnia sollicite erit inquirendum, an non arrhae possint accedere emtioni imperfectæ. Patet vero ex dictis perfectam & imperfectam emtione dicu dupliciter, vel ex natura negotii & moribus gentium, vel ex conventione partium. Priori modo imperfecta emtio nihil aliud est, quam pactum de emendo, perfecta, quamprimum partes pretium pro certa merce determinarunt, vide §. 21. & 22. Posteriori modo emtio imperfecta est, si partes, etiamsi iam pretium de certa mercede determinauerint, nolint tamen adhuc obligari, sed v. g. velint emtione in scriptis contrahere, perfecta est, si emtio in scriptis contracta sit; h. e. si partes subscriperint. Neutro modo casus Iure Gentium videtur esse dabilis, ut arrhae dentur, si emtio adhuc sit imperfecta.

§. XXXVIII. Non priori. Stultus enim esset, qui in pacto de vendendo arrhas daret. Nam cui usui? Ut alter pactum serueret quod nullum effectum habet. Ut arrha interesse astimeret quod nullum subest. Ut arrhas frustra perdat, & sine causa quod insani hominis est. Non posteriori: Dum enim partes ideo volunt emtione in scriptis celebrari

brari ut antea non obligentur, ridiculum esset, si velint simul arrhas dare, ut obligentur. Dum ante scripturam volunt licentiam impune poenitendi sibi referuare, contradictorium foret, si vellent arrhas dare, vi non impune recedere possint. Igitur utroque casu emtioni perfectæ accedit arrhæ datio necesse est, siue non scriptæ, si non conuenierit, ut emtio in scriptis celebretur, siue scriptæ, si hoc pactum adiectum sit. Ergo tantum emtioni perfectæ accedit. Q. E. D.

§. XXXIX. His præmissis effectus arrhæ dationis is erit, ut pro diuersis modis arrhas dandi, diuersa detur actio. De nomine actionis Ius Gentium non est sollicitum, ut pote quod magis rem, quam verba considerat, & denominationem actionum aut formulas agentibus præscribere relinquit Iuri Civili.

§. XL. Aut igitur arrhis datis uterque contrahentium adimpler contractum, aut uterque novo consensu a contractu recedit, aut unus contractum adimplere paratus est, alter vero moras necit, vel poenitere vult. Quodsi uterque contractum impletum, tum intentio contrahentium fuit, ut arrhæ instar pignoris ab eo, qui arrhas dedit, reuocentur, siue venditor eas dederit, siue emtor. Quodsi tamen emtor certam sumمام pecunia arrhæ loco dedit, illam imputat in sortem pretii, adeoque in solutione pretii eam compensat.

§. XLI. Quodsi communī consensu partes ab emtione perfecta iterum recedant, uti tum emtio tota rescinditur, ita nec arrhæ tanquam accessorium emtionis possunt apud eum remanere, qui illas accepit, quia alias aperte lucrum haberet cum alterius damno. Igitur & tum, qui arrhas dedit, illas ab accipiente repetit, siue venditor siue emtor dederit; siue arrhæ loco pecunia data sit, siue aliud quolibet corpus.

§. XLII. Quodsi vero una pars recedere velit a contra-

tractu, vel moram faciat adimplendi promissi, tum vel pacto expressum est, quid cum arrha agendum sit, vel arrha simpliciter data est absque pacto. Illo casu nunquam repertuntur arrha a dante, quia tale pactum nunquam adiicitur arrhae dationi, tanquam quod plane aduersum esset intentioni omni arrhas dantum, sed accidente pacto vel id actum est, ut & arrha perdatur a dante, aut duplicata redditur ab accipiente, & insuper adigatur actione emti ad contractum adimplendum, vel actum est, ut arrhis perditis vel duplicatis redditis liceat ab emtione recedere, *vide supra* §. 27. § 28. Quia igitur pacta haec dederunt legem, i. e. normam agendi contractui, etiam pars laesa actionem secundum conventionem illam, ut ei satisfiat, instituit, si non iam satisfactionem intus habeat, ut si arrha data sit ab emtore cum pacto poenitendi, & emtor postea poeniteat. Nam tunc vendor arrham haberet.

§. XLIII. Quod si arrhae sint datae simpliciter, & ita prima fronte dubium sit, an datae & acceptae sint in confirmationem, an ad impediendam saltem per metum amittendarum arrharum poenitentiam, *vid. supra* §. 34. re tamen attentius considerata dicendum videtur, in hoc casu dubio non præsumi eam intentionem fuisse contrahentium, ut saltem per arrharum amissionem coerceatur mora eius, qui contractum adimplere non vult, quia iam circa arrhas utriusque contrahentium prospectum est, ut moribus gentium actionem habeant utrobique ad petendum interesse morae. Etsi enim dixerimus §. 27. interesse morae etiam saepe difficulter probari, tamen ista difficultas non adeo magna est, ut eius intuitu, si non sit pacto id expressum, censeatur arrha data esse, (quare & tale pactum rarius contractui emtionis eam ob causam addi solet.) Nam si emtor moras necat in soluendo pretio, vendor, si non maius interesse probare poterit, poterit saltem loco interesse petere usuras, quatenus illæ moribus receptæ sunt. Si vendor in mora fol-

soluendi sit, emtor petere potest loco interesse fructus perceptos & percipiendos tanquam a malæ fidei possessore. Adde, quod plerumque pinguior sit actio, si hoc casu usuræ aut fructus petantur, quam si retineatur saltem aut duplicita reddatur arrha, ut quæ plerumque minoris est, quam usuræ vel fructus.

§. XLIV. Igitur, cum tertia intentio contrahentium & arrhas dantium non detur, per notata §: 27. 28. & 33. nihil aliud remanet, quam ut dicamus, deficiente pacto, arrhas ea intentione fuisse datas & acceptas in emtione, ut accipiens quidem dantem, & dans etiam suo modo accipientem intendat impedire per metum amittendarum arrharum a pœnitentia & mora, interim tamen vtraque pars simul intelligatur tacite id egisse, ut liceat utriusque pœnitere, si modo dans perdere arrhas velit, accipiens autem duplicitas reddere, siue arrha data sit ab emtore, siue a venditore, siue pecunia sit loco arrha data, siue corpus, ita tamen, ut si corpus fuerit datum, accipiens eo reddito reddat simul de suo estimationem aut valorem eiusdem. Quodsi dies dictus sic satisfacienda obligationi & arrha datae, ille, qui moras necit, arrhas perdet, si moram purgare non poslit, & alteri licentia dabitus impune a contractu recedendi.

§. XLV. His ita ex natura rei & moribus Gentium definitis, nunc tempus est, ut Corpus Iuris nostri aperiamus, an doctrina nostra conueniat cum Iure Iustinianeo, nec ne? Vbi statim in Institutionibus occurrit §. 1. *Instit. de Emt. vendit. Emtio*, inquit Tribonianus, & venditio contrahitur, simul atque de pretio conuenerit, quamvis nondum premium numeratum sit, ac ne arrha quidem data fuerit. Nam quod arrha nomine datur, argumentum est (& probatio) emtione & venditionis contractæ (& perfectæ, cum imperfectæ ex natura hominum non adiici soleat arrha:) Sed hoc quidem de emtione & venditionibus, que sine scriptura consistunt (vti regulariter ita subsistunt,) obtinere oportet, (quod nimurum emtio statim sit per-

festa, simulatque de pretio conuenerit) nam nihil a nobis in huiusmodi emtionibus & venditionibus innovatum est: in iis autem, quæ scriptura conficiuntur, (& vbi partes conuenerunt, ne antea perfecta sit emtio venditio, quam ea in scripturam redacta sit,) non aliter perfecta esse venditionem & emtionem constitimus, contractus l. 17. C. de fide instrum. nisi & instrumenta emtionis fuerint conscripta vel manu propria contrahentium, vel ab alio quidem scripta, a contrahentibus autem subscripta: Et, si per tabellionem sunt, nisi & completiones acceperint, & fuerit ita emtio omnibus partibus absoluta. Donec enim aliquid deest ex his (dictis circumstantiis) & penitentia locus est, & potest emtor vel vendor sine poena recedere ab emtione & venditione, (vti alias impune recedere potest ab emtione regulari, & mere consensuali, si nondum conuenerit de pretio, sed patet saltem fuerit de vendendo.) Ita tamen impune (pretio determinato) eis recedere concedimus, nisi iam arrharum nomine aliquid fuerit datum (in emtione sine scriptis post conuentiōnem, in altera, quæ scriptis sit, postquam omnia sint consummata, nam ridiculum foret, vt contrahentes antea darent arrham, quæ perfecta emtionis argumentum est, quam emtio fuerit perfecta.) Hoc enim subsecuto, sine in scriptis, sine sine scriptis venditio celebrata est, (adeoque perfecta) is, qui (postea poenitere vult, vel alias in mora est, & ita) recusat adimplere contractum, signidem est emtor, (vt qui regulariter dare arrhas solet,) perdit, quod dedit: si vero vendor, duplum restituere compellitur, licet super arrhis (per paotionem) nihil expressum est. Egregie profecto & ad naturam rerum ac mores Gentium accommodatissime Tribonianus, qui, si semper ita in Institutionibus se gessisset, non haberemus iustas de eius imperitia querelas. Ceterum aliter hic procedere non potuit, quia nullum unquam in re tam clara & evidenti inter ICtos fuit dissidium. Ergo & horum fragmenta iam ex Pandectis dispiciamus.

§. XLVI. Primum caput de arrhis ocurrat in l.s. §. 15.  
de

de insit. act. Vbi Vlpianus: Si insitor, ait, cum oleum vendidisset, annulum arrha nomine acceperit (ab emtore,) neque eum (accepto pretio) reddat, dominum (præponentem) insitoria (actione) teneri. Hic itaque in materia arrharum nulla difficultas. Planus etiam est textus Gaii in l. 35. pr. de contrah. emt. Quod sepe arrha nomine pro emtione datur, non eo pertinet, quæsi sine arrha conventioni nihil proficiat, (aut non possit esse perfecta emtio,) sed ut evidenter probari possit, conuenisse de prelio, (cum arrha non dentur, nisi post perfectam emtione.) Magis dubium casum, sed solutione non difficilem proponit Scœuola l. vlt. de lego commissoria. Mulier fundos Gaius Seio vendidit, & acceptis (iterum ab emtore) arrha nomine certis pecunias, statuta sunt tempora solutionis reliqua pecunia, quibus si non paruisset emtor, pacitus est, vt arrham perderet, & inempta ville essent. (Mulier tradidit fundos: Postea) die statuto (quo solutio fieri debebat) emtor testatus est (h. e. testibus probauit) se pecuniam omnem reliquam paratum fuisse exsoluere, & sacram cum pecunia (in quo erat illa summa) signotorum (testium) signis obsignauit, defuisse autem venditricem (simul probauit;) posteriorie autem die nomine fisci testato conuentum emtorem, ne ante mulieri pecuniam exsolueret, quam (ipsa) fisco satisfaceret. Quæsum est, an fundi non sint in ea causa, vt a venditrice vindicari debeant ex conventione venditoris (legendum puto vel emtoris vel venditionis) Respondi, secundum ea, qua proponerentur, non commisso in legem venditionis emtorem, quia aperte probauit, se non fuisse in mora. Denique Vlpianus de actione, qua representantur arrha sollicitus in l. 11. §. 6. de Act. emt. sic disputat. Is, qui vina emit, arrha nomine certam summam dedit, postea conueniat, vt emtio irrita fieret. Iulianus ex emto agi posse ait, vt arrha restituatur, vt itemque esse actionem ex emto etiam ad distraherendam, inquit, emtionem (quia contractus hic esset bona fidei, ex quo actiones dentur etiam ad omnia illa, quæ occasione contractus debentur, quamvis hic quidam contra senserint, inconveniens esse putantes, vt ex contractu agatur de dif-

dissoluendo contractu.) Ego (non dissentio, sed insuper) illud quero: Si annulus (ab emtore) datus sit arrha nomine, & secuta (h. e. vt verba sequentia innuunt, adimpta & consummata) emtione, pretioque (adeo) numerato, & traditare annulus non reddatur (a venditore,) qua actione agendum est, utrum condicatur, quasi ob causam datum sit, an vero (emtori) ex emto agendum sit; & Julianus diceret, (ex ista sua hypothesi) ex emto agi posse. (Quod etsi non negem) certo (tamen) etiam condici poterit, quia iam sine causa apud venditorem est annulus. Disputatio hæc Vlpiani, etsi recte se habeat, nullius tamen est utilitatis, partim intuitu Iuris Gentium, per dicta §. 39. partim intuitu Iuris Germanici, quod pariter de formulis & nomine actionum parum est sollicitum.

§. XLVII. Sequuntur textus ex Codice, vbi initio Diocletianus l. 2. quando liceat ab emt. recedere. Perfectam dicit, emtionem atque venditionem re integra (i. e. si res nondum tradita, nec pretium solutum sit,) tantum pacto & consensu posse dissolui constat, (quia hoc pactum vrobique dabit exceptionem) Ergo siquidem arrha nomine aurum datum sit, potes hoc solum secundum fidem (illius) patti (emtionem dissoluensis) recuperare, (actione vel emti, vel condicione sine causa, quia arrha non consummat contractum, utpote quæ nec pretium est, nec mers;) Sin vero partem pretii persoluisti (neque adeo illam pecunia summam vt arrham dedisti, quia cum res non est amplius integra) ad ea, que venditorem ex venditione oportet præstare, magis actionem, quam ad (repetendam) pretii quantitatem, quam te dedisse significas, habes, (quia pactum emtionem dissoluens tanquam pactum nudum de Iure Romano nullam actionem producit.) Res iterum secundum Iuris Romani principia aperta est, sed nec moribus Gentium, nec moribus Germanicæ usum præstat, quia vrobique ignoratur differentia inter pacta nuda & contractus. Porro Imperator Antoninus l. 1. de pactis inter emtorem & venditorem de quæstione respondit, nec Iure Gentium, nec Iure Romano, adeoque nec

nec Iure Germanico dubium habente. Si ea lege prædium vendidisti, ut nisi intra certum tempus pretium fuisset exsolatum, emiris arrhas perderes, & dominum (rei venditæ) ad te pertineret, fides contractus seruanda est, (atque emtrix non poterit ab eo recedere, ac prædium retinere.)

§. XLVII. Restat constitutio Iustiniani in l. 17. C. de fide instrum. cuius synopsin iam retulerat Tribonianus in pr. Inst. de Emitione vendit. vid. supra §. 45. Vnde non difficilis erit huius paraphrasis. Postquam enim Imperator prolixius pro more disposuerit, quod emtiones, quas partes in scriptura celebrare volunt, non ante debeant vim obligandi habere, quam omnia sint subscripta & in scriptis perfecta, subiungit: Illud etiam adiscientes, ut (quia haec tenus aliqui ea de re, sed absque ratione sufficiente dubitauerant) in posterum, si que arrha super facienda (h. e. consummanda per traditionem & solutionem) emtione, cuiuscunque rei date sint (post contractum perfectum,) sive in scriptis sive sine scriptis (emtio celebrata sit,) licet non sit specialiter (per pactum) adiectum (& expressum,) quod super iisdem arrhis (altera parte pœnitente & promissionem adimplere nolente, adeoque) non procedente contractu (quoad eius consummationem,) fieri oporteat, tamen (absque illa vltiori dubitatione) & qui vendere (h. e. rem tradere) polliciis est, venditionem (h. e. traditionem) recusans, in duplum eas,) quas vt regulariter fieri solet, ab emtore accepit,) reddere cogitur, & qui emere (t. e. pretium determinatum soluere) paltus est (per contractum emtioniis sive in scriptis sive sine scriptis celebratum,) ab emtione (hac perfecta) recedens, datis a se arrhis cadat, repetitione earum (ipso) deneganda.

§. XLIX. Facile tamen prævideo, quod multi hanc paraphrasin mentis Iustinianæ impugnaturi sint eo, quod eam exposuerimus, ac si Imperator loquatur de arrhis datis emtione iam perfecta, cum tamen expresse satis loquatur de arrhis datis, vel vbi saltet intercessit pactum de ven-

E

den-

dendo, velvbi de pretio quidem conuenit, sed simul partes voluerint non ante firmiter obligari, quam emtio sit in scripturam redacta. Nam hanc eius mentem indicari dilucide per verba: *Superfacienda emtione*, i. e. super pacto de emendo: item: *non procedente contractu*, i. e. si postea venditor vendere aut emtor emere nolit: item: *& qui vendere pollicitus est, venditionem recusans*, i. e. si venditor nolit pactum de vendendo adimplere: Denique: *& qui emere pactus est*, i. e. qui pactum de emendo iniit, aut qui iam quidem pretium determinauit, sed noluit ante obligari, quam emtio sit in scripturam redacta, nam & haec conuentio magis pactum de emendo est, quam emtio.

§. L. Quid ergo iam respondebimus in re tam plana & aperta? Multa quidem & varia. Initio enim 1, pro nostra explicacione vrgeri possunt verba ultima, vbi dicitur, quod emtor ab emtione recedens debeat arrhis cadere. Iam vero vbi saltet a pacto emtione recedit, non recedit ab emtione, & vbi recedit ab emtione in scriptis celebranda, antequam in scripturam redigatur emtio, etiam non recedit ab emtione vera, quia nondum emtio est. 2. Tribonianus in Institutionibus, dum summam huius constitutionis refert, perspicue eam exponit de arrhis datis in emtione iam perfecta in verbis: *sive in scriptis, sive sine scriptis venditio celebrata est* (vid. supra §. 45.) Tribonianii autem interpretatio habenda est pro interpretatione authentica. 3. Imo etiam si & Tribonianus & Iustinianus verba adhibuisserent, quæ proprie denotarent emtione imperfectam, quia tamen supra ostensum est §. 37. & 38. quod non sic casus dabilis, vt in emtione nondum perfecta dentur arrhæ, haud dubie de re absurda & contradictionem inuolente disponeret Iustinianus, si eius mens secundunt proprietatem verborum explicaretur. Notum autem est, quod si concurrant duæ interpretationes, quarum una, quæ proprietatem verborum sequitur, sententiam absurdam fouet, altera vero, quæ a proprietate verborum

rum recedit, nihil habet absurdum, posterior priori preferenda sit. Est enim regula Iuris Gentium, ea que prope infallibilis, quod ad evitandum sensum absurdum liceat a verborum proprietate recedere.

§. LI. 4. Multi Doctores iam notarunt, quod in Legibus Codicis non debeamus querere proprietatem verborum, ob evidentem rationem. Nam stylus ille perspicuus & purus, qui in vsu erat illis seculis, in quibus viuebant ICti, ex quorum libris Leges Pandectarum sunt excerptæ, seculis sequentibus, maxime vero a tempore quarti seculi desierat esse in vsu, & loco eius stylus obscurus & inflatus vsu receptus erat, etiam ab Historicis, prout vel solo Ammiani Marcellini exemplo patet. Maxime vero leges Iustinianæ hoc nævo laborant, vt ad oculum patet. Et vel ipsa hæc lex nostra insigni documento observationem hanc illustrat. Incipit enim statim: *contractus venditionum, vel permutationum, vel donationum, dationis etiam arrharum, vel alterius cuiuscunque causa, quæ tamen in scriptis fieri placuit, &c.* Nam quid hoc est: *contractus dationis arrharum?* Dedit haec loquendi durities ansam interpretibus quibusdam, verborum captatoribus, vt dationem arrharum, quæ nunquam contractus fuit, inter contractus referrent. Ut de contractu donationis nihil dicam, qui & ipse secundum Iuris Romani principia contractus saltem spurius est, & improprie sic dictus. Porro quid hoc sibi vult: *contractus arrharum dationis, quæ tamen in scriptis fieri placuit?* Arrhae dantur, non promittuntur, multo minus ita promittuntur, vt in scripturam redigantur, &c.

§. LII. 5. Sed nec opus est, vt in hoc casu Iustinianum accusemus, ac si præter aut contra morem loquendi veteribus ICtis vsi, tantum locutus fuerit, dum faciendam emtionem pro consummanda emtione usurpauit, item dum dixit: *pollicitus est vendere, pro pollicitus est tradere:* ac denique: *pactus est emere, pro pactus est premium soluere.* Nam simi-

similiter loquebantur Vlpianus, Paulus, & alii I<sup>CT</sup>i celebres, quod miror non obseruatum esse ab interpretibus, (quos quidem inspexi,) dum hanc quæstionem tractant. Liceat eam in rem iam duo exempla tradere, vnum ex Vlpiani l. 2. §. 6. de æt. emt. si annulus, inquit, datus est arrha nomine, & secuta emtione pretioque numerato & tradita re, annulus non reddatur &c. Ostendit hic textus, quod verba, secuta emtione, non a lium sensum commode admittant, quam adimplenta emtione, vt iam supra §. 46. obseruauimus. Quodsi tamen & hoc exemplum non satis conuincens videatur, ecce alterum in l. 47. pr. eod. Vbi Paulus ait: *Lucius Titius accepta pecunia ad materias vendendas sub pena certa, ita, ut si non integras res præsisterit, intras statuta tempora pena conueniantur, parum datis materiis deceffit &c.* Hic apertum est, Titium vendisse illas res, & pretio accepto promisisse, illas integras esse certo tempore traditurum. Igitur materias vendendas hic dixit Paulus, quas materias tradendas necessario exponere debet bonus interpres.

§. LIII. Iam nihil restat, quam vt ostendamus lapsum interpretum ex neglecta consideratione naturæ rei & Iuris Gentium ortum, dum primario verbis legum ciuilium inhæserunt, & damnum, quod ex hoc lapsu Iurisprudentia nostra passa sit. Quia tamen maximam partem modo exposita l. 17. C. de fide instrum. in controuersiam vocari ab iis soler, de hac etiam incipiemos. Atqui hic quidem peculiari dissertatione opus foret, si quis lites, quæ Antonio Fabro, & Reinhardo Bachouio de sensu dictæ legis 17. intercesserunt, examinare vellet, ita utrobique miscentur quadrata rotundis a Fabro, errore pragmat. 6. 7. 8. decad. 96. Ab hoc in Exercitationibus ad Fabri errores pragmaticorum d.l. Ita utrobique confusissime doctrina de arrha proponitur, quare maneamus in terminis saltē controuersiæ illius, quam hucusque exposuimus.

§. LIV. Vbi, si res autoritate peragenda esset, facile metum nobis incutere possent autores diuersæ sententiæ, & nu-

& numero & autoritate ac insignibus in Iuris prudentiam  
meritis pollentes. Ecce enim pro ea pugnant Bachouius d. l.  
& ad Treutler. vol. 1. D. 28. th. 8, vbi & citat pro ea Cynum & Bar-  
tolum, Wissembachius ad d. l. 17. C. de fide instrum. qui Donellum  
citat, Paulus Voëtius ad pr. Inst. de emt. vendit. n. 10. Dn. Hop-  
pius ad dict. pr. Cyprianus Regnerus Disp. ad Inst. 18. th. 5. Dn.  
Schilter ad Pandectas Ex. 30. §. 33. seq. qui & Berlichium pro ea  
adducit, & quem primo loco nominare debebamus B. Lauter-  
bachius differt. pecul. de arrha th. 109. seq. vbi simul nubem  
consentientium Doctorum addit. Carpouii, Gilkenii, Franzkii,  
Vinnii, Wesenbeccii, Molinae, iohannis de Lugo, Christinai, Harprech-  
ti, Gehausenii, Oldendorpii, Mozziti.

§. LV. Sed nec nobis tamen desunt viri insignes, &  
meritis in Iurisprudentiam parti priori haudquaque cedentes.  
*Communem* vocat hanc sententiam ipse dissentiens  
P. Voëtius d. l. n. 11. etiam Regnerus d. l. citatque eum in fi-  
nem Soarezium in thesaur. recept. sent. in verb. arrhas n. 274.  
Besoldum, Rutgerum Rulandum, Zasium, Hunnum, Treutlerum,  
Myrsingerum, Schneidewinum, nobis suppeditat Lauterbachius  
d. l. Glossam, Odfredum, Salicetum citat Bachouius ad  
Treutlerum d. l. Treutlerus ipse Sichardum, iterum Voëtius  
Bronchorstium & Hanonium. Iuris Lubecensis commentato-  
rem Menium, Dn. Hoppe d. l cui adiiciamus, qui vnu star  
omnium esse potest, B. Brunnemannum, qui i a breuiter  
& succincte sententiam oppositam refutauit, ut non possi-  
mus non eius integra verba apponere.

§. LVI. Ita vero differit ad d. l. 17. C. de fide instrum.  
Quando, inquit, arrha data est super facienda venditione,  
pœnitens vendor, qui accepit arrhas, eas duplicas red-  
dat, emtor vero pœnitens non repeat. Sed id de contra-  
ctu nondum perfecto intelligendum esse notat Wesenb. in  
Pand. de Contrah. Ent. n. 9. & Carpz. p. 2. c. 33. D. 14. Nam con-  
tractu perfecto non licet recedere per l. 6. C. de rescind. Vendit.  
Sed id sine dubio non transit: nam Carpz. & Wesenb. vtuntur

duabus rationibus, 1. quod Imperator hic de facienda & imperfecta venditione loquatur; 2. quod absurdum videatur, arrha dationem, quæ firmando contractui adhibetur, contrarium operari effectum. Verum primæ rationi responderi posset, illa verba, *super facienda emione*, captari, & ea defuturis tunc emtionibus intelligi posse, & contra vrget, quod arrha detur eo fine, ut de pretio constet per l. quod sepe 35. ff. de Emt. & per l. 11. §. 6. ff. de Act. Emt. & Imperator etiam aliis verbis vtitur, quæ perfectam emtionem inferunt, v. g. ab emtione recedens, & quia Imperator de venditione sine scriptis expresse loquitur, non possum aliter dicere, quia sine scriptis solo consensu venditio perficitur, quam quod imperator hic non tantum de imperfecta, sed etiam perfecta emtione loquatur, & quod arrha datio hoc inferat tacite. Hoc etiam appellatio Germanica vocis Neu-Rauff probat & d. l. quod s. p. ff. de Emt. & d. l. 11. §. 6. ff. de act. emt. Secundæ rationi responderi posset, 1. Brocardicum tantum esse, in quo firmum fundatum vix collocandum. 2. posse fieri, ut, quod firmando pacto adhibetur, mihi tamen pariat facultatem pœnitendi, v. g. si dederim, ut tu des in permutatione, illa mea datio firmando contractui adhibetur, & tamen ideo, quia ego dedi, habeo facultatem pœnitendi, non alter; 3. arrha dationem non principaliter, sed per consequentiam & tacitam conuentionem operari, ut, qui dedit, possit pœnitere. Eamque sententiam amplectuntur Gomez. Tom. 2. Resol. c. 2. n. 18. Fachin, l. 2. c. 28. Conf. Caldas de Emt. cap. 18. num. 35. Molin, de l. & Iure Tr. 2. cl. 338. n. 3. Haec tenus B. Brunnemannus.

§. LVII. Ne tamen conquerantur dissentientes, ac si quid intactum reliquerimus, quod ipsorum causa fauet, placet & ista breuissimis discutere. Palladium sententia opposita situm est in argumeto ex l. 3. & 6. C. de restind. vend. In priori dicitur, quod de contractu emtionsi iure perfecto alterutro inuito nullo recedi tempore possit, nec ex rescripto quidem Imperatoris. Posterior disponit, non esse probabilem cau-

causam rescindendi venditionem, etiam si vendor offerat emtori duplum pretii. Ergo, aiunt, multo minus datæ arrhæ operari possunt pœnitentiaæ licentiam, quia ne rescriptum quidem Principis potest, nec relictæ arrhæ liberabunt emtorem ab obligatione pretium soluendi, quia ne quidem oblatione duplicati pretii liberat venditorem a re tradenda. Sed præterquam quod adhuc dubium sit, annon l. 6. C. d. 1. loquatur de casu iam adimpleteæ ytrobique emtionis, vbi vendor volebat rescindi eam, & aduersus emtorem agebat, vt recepto duplo pretii restitueret rem venditam, quod nobis quidem valde videtur verosimile; argumentum istud parum infert. Nam vtique Princeps per rescripta nemini ius quæstum auferre solet. Partes vero ut consensu mutuo sive expresso sive tacito iura quæsita inuicem tollant, nihil obstat. Itaque relatio arrha in casu pœnitentiaæ, hic non fortior est, quam oblatione pretii duplicati, sed fortior tamen est conuentio, quæ moribus Gentium in datione arrhæ tacite intercedit, de licentia pœnitendi, sed sub amissione arrharum.

§. LVIII. Vnde iam sua sponte ruit argumentum Bachouii, quamvis multum roboris ei inesse opinetur. Sic enim inquit ad Treutler. d. l. p. 1079. Quo casu datis arrhis cum damno earum recedere licet, eodem casu non datis impune recedere licet. Atqui ex sententia Treutleri arrhis datis etiam a perfecto contractu cum damno eorum licet recedere, ergo a perfecto contractu non datis arrhis impune recedere licet. Quæ conclusio cum manifesto falsa sit, & ex veris nunquam sequatur falsum, necessario alterutram propositionem falsam esse oportet, & porro assumptionem, quoniam propositio in expresso textu d. print. insit. h. t. fundatur. Haçtenus Bachouius. Nos vero priorem illam propositionem falsam potius dicimus. Continet enim ea insufficieniem enumerationem casuum. Aut enim recedi potest ab emtione impune, aut receditur non impune, aut plane non recedi potest. Igitur sic emendanda erit illa propositio: Quo casu

casu datis arrhis cum damno earum recedere licet, eodem casu non datis aut impune recedere licet, aut plane recedere non licet. Ita vero conclusio non erit falsa.

§. LIX. At, inquiunt, nulla est proportio, nulla poena in amissione arrharum, cum arrhae consistant ut plurimum in re minima, & Gilken notat, in Germania illum morem inoleuisse, ut quis nummum unum auctoramenti loco det, *vid. Lauterbach. d. disp. de arrha th. 109.* Sed respondeo, iste unus nummus tum non est arrha, nisi improprie, & quatenus datur saltem ille nummus in signum perfectae emtionis. Arrha enim datur, ut sub metu amissionis alter impellatur ad promissum seruandum, quem metu ille unus nummus non potest incutere. Deinde etsi arrha intuitu totius pretii possit esse portio minor aliqua aut res minoris valoris, tamen nulla inde oritur absurditas, v. gr. emi aedes pro 10000. thaleris & arrhae loco dedi ducentesimam partem 50. thaleros, si obseruat justitiae regulis inter aedes & illud pretium est exacta aequalitas, poterit 50. thaleris interesse vtriusque sati, esse estimatum, poterit metus amittendi 50. thaleros satis retinere eum, qui poenitere vult. Ut taceam, quod in eiusmodi magni pretii rebus etiam arrhae soleant augeri. Ita non raro obseruare licebit, in venditione aedium, que valent 10000. thaleros, arrhae loco dari 500, vel ultra.

§. LX. Porro, cum dissentientes sentiant, cardinem questionis in eo versari, vtrum arrhae possint accedere emtioni non perfectae, inde laborant, ut hanc assertionem probent. Communiter tamen nihil ultra afferunt, quam ut prouocent *ad dict. pr. Inst. de E. V. & add. l. 17. C. de fide instrum.* quod miror factum etiam esse a B. Lauterbachio *d. l. th. 30.* cum hoc sit nihil aliud, quam petere id concedi, quod in questione erat, & rem dubiam probare per aque dubiam. Accedit, quod in questione, vbi negatur aliquid fieri posse secundum naturam negotiorum, parum pertinenter prouocetur ad textus & le-

& leges, cum leges non possint mutare rerum naturas, & in his controuersiis legum nulla sit auctoritas.

§. LXI. Igitur quamdiu nullum casum possibilitatis ostendunt Interpretes, tamdiu iure nostro negamus Iustini-anum *in d. l. 17. C. de fide instrum.* de eo casu intelligi posse. Sed ecce casum in terminis his verbis ex Odefredo ponit Bachouius *ad Trent. d. l. p. 1080.* de emtione librorum: vadit scholaris ad stationem, & petit a stationario, pro quanto vis dare istum librum? dicit stationarius pro decem: dicit scholaris, vis octo? dicit stationarius, detis arrhas, & videbo, si poteritis habere ab eo, cuius est. Eoque casu addit Bachouius, si postea scholaris octo illa dare nolit, merito arrhas amittit. Respondeo 1. non est ille casus in terminis, quem querimus *ad d. l. 17.* vbi Iustinianus vult, venditorem, si recedat a contractu, debere duplicates arrhas reddere. Sed casus Odefredi talis est, vt si stationarius velit recedere, reddat saltem arrhas simplices, quare male statuit Bachouius, ipsum Odefredum hunc casum a praesenti disputatione male removuisse. 2. agit casus de venditione non imperfecta, sed perfecta, sub conditione, si pretium hoc domino libri placuerit, qua similis est conditioni, si Stichus intra certum diem tibi placuerit, de qua est §. 4. *Inst. b. t.* 3. Iste scholaris stultus esset, si arrham daret stationario, qui non mutuo obligatus esset ad contractum scrupandum, sed posset semper sub praetextu, quod non placuerit pretium domino, recedere impune a contractu. Ergo nec hic casus est dabilis. Adspicienda enim est dabilitas casuum, qua sit ab hominibus sanæ mentis.

§. LXII. Alium casum dat idem Bachouius *aduersus Fabri decad. 96. err. 7. f. 301.* Quarto, dicit, *puto errare Fabrum,* dum simpliciter ait, *pactum de vendendo nihil esse, nisi nudum pactum,* utcunque *Si rei Si pretii habeat determinationem.* Ego

F

vero

vero existimo, si ita auctum sit, ut uno dicente, ego volo vendere hunc fundum pro centum, alter annuat, & se pro eo pretio eum fundum emere velle dicat, emtionem veram contractam esse; Qui enim distinguas loc ab ipso contracta venditionis, qui nudo consensu perficiuntur. Et illud tamen non inuitus concedam, posse recte dari arrhas, ubi tale pactum intercessit, quod nondum est venditio, ita ut hic quoque constitutioni Iustinianae in d.l. 17. sit locus. Hic, ut recte Bachouius in verbis initialibus notat, casum datum non esse exemplum pacti de vendendo, sed venditionem ipsam, ita manebit etiam talis casus venditio vera, si arrha dentur, nec mutabitur eius natura per adiectum pactum arrhae. Quodsi autem in verbis finalibus saltem id innuere velit Bachouius, in genere pacto de vendendo posse adiici arrhas, committit rursus petitionem principii,

§. LXIII. Quare valeat illa sententia, cum & ratione destruatur & lege, & in praxi etiam sit parum recepta. Nostram enim doctrinam & in Castilia, & Lusitania, & toto Hispaniarum regno receptam esse ex Molina & Iohanne de Lugo testatur Lauterbachius d.l. th. 100. De moribus Galliarum testatur Paulus Voëtius ad pr. Inst. de emt. n. 11, post Pacium, Mornacium, Busium & Grotium, ibidem citatos. Imo ad mores Germaniae post Fachineum prouocat Regnerus d. diff. 18. ad Inst. §. s. et si parum sapienter sequens addat epiphonema: Qui mores profecto iuri Diuino aduersantur Rom. l. v. 31. quo textu nullum adhuc impertinentius allegari conspexi, et si non sit nouum, textus Scripturae Sacrae torqueri in argumentis inde formandis a vulgo interpretum, pariter ac Legibus fieri solet a Iure Consultorum facere.

§. LXIV. Vti vero ostendimus haec tenus, quid Iuris sit circa arrhas emtionum quoad Ius Gentium, & quod Ius Iustinianeum a moribus communibus hic non recesserit, ita tamen nullum est dubium, posse Magistratum Politicum in

in hoc negotio recedere ab istis contrahendibus mortaliis, & diuersum quid autiis oppositum legibus sancire, quia diximus supra, Ius Gentium hic non pro lege accipi, sed pro facultate morali. At circa facultatem subditorum suorum Princeps quilibet pro utilitate Reipublica sua disponere potest, & modum præprimis contrahendi nouis Legibus definire. Ita, si verbi gratia, Princeps nolit subditis suis post rem feinei deliberatam permittere potestatem poenitendi, sed potius in eo velit eos aduefacere ad animi constantiam, poterit prohibere, ne arrhis datis ab emtione recedere liceat, poterit etiam de illa amissione arrhae & duplicatae restitutione diuersum quid sancire. His præmissis videamus iam paucis, quid leges Germanorum tam antiquæ, quam nouiores disposuerint in hac materia.

§. LXV. Lege Wisigothorum antiqua lib. 5. tit. 4. l. 4. sic statutum legimus: *Qui venditor arrhas pro quacunque re acceperit, id cogatur implere, quod placuit. Emotor vero (qui arrhas dedit) si per agitudinem aut grauem necessitatem, qua vitari non potuerit, ad constitutam non occurverit diem, quem voluerit, pro se dirigat, qui premium tempore definito compleat. Quodsi ad constitutum diem nec ipse successerit, nec pro se dirigere voluerit, (poterit quidem venditor eum adigere, ut promissa impleat, sed tamen, quia emtor hoc ipso declarauit, quod emtioni stare nolit, aut quia ipse fidem datam violauit, & vero lege hac non obstante omnes contractus mutuo dissensu solvi possunt, vel etiam is, qui fidem contractus violauit, non poterit ab altero postulare, ut ipse fidem seruet, in hoc casu licebit venditori etiam ab emtione recedere, ita tamen ut & emtor arrhas (suas, sed) tantummodo (simplices, non duplicates) recipiat, quas dedit, & res definita (h. e. contractus emtionis) non valeat. Ita malo texum explicare in se satis obscurum, quam*

cum Dn. Schiltoro d. Eborac. 30. ad Pand. §. 42. corrigere,  
 ut verba ultima eum sensum habeant: Quodsi ad constitutum diem nec ipse succederit, nec pro se dirigere voluerit, arrhas tantummodo NON recipiat, quas dedit, & res definita valeat. Nam illud: *tantummodo non videtur nimis durum hic esse, & obscuritatem non tollere.* Itaque lex hæc Wisigothorum duo disposuit recedentia a Iure Gentium, 1. vt arrhis datis non liceat pœnitere vni parti inuita altera. 2. vt, si venditor emtore fidem non seruante, & ipse velit recedere a contractu, emtor tamen arrhas non perdat. Breuiter voluit saltem arrhas habere effectum probandæ emtionis perfectæ.

§. LXVI. Contra lege Baiuariorum quoad primum momentum quidem recessum fuit a moribus Gentium, quo ad secundum vero recessit a moribus Wisigothorum. *Qui arrhas dederit dicitur tit. 15. Lege Baiuariorum pro quaunque re, pretium cogatur implere, quod (semel) placuit (ipso tanquam) emtori.* Si non occurrit ad diem constitutum, vel antea non regauerit placitum ampliorem, Hoc si neglexerit facere, tunc perdat arrhas, & (nihilominus) pretium quod debuit impletat. Hac igitur lege arrhæ semper habuerunt effectum non solum probationis, sed & confirmationis. Idem videtur etiam placuisse Carolo M. & Ludouico I. Imperatoribus, in quorum capitularibus verba initialia precedentis legis repetuntur lib. 5. Cap. 21. (ed. Lindenbrog. vele cap. 363. edit. Baluzii) *Qui arrhas dederit pro quaunque re, pretium cogatur implere, quod placuit emtori.*

§. LXVII. Quod ad Iura nouiorum temporum attinet, Ius Würtembergicum prouinciale tria capitula de arrhis posuit. Primi verba hæc sunt part. 2. tit. 9. Landr. Obwohl keiner vom getroffenen Contract ohne sondere Ursachen abtreten solle,

solle, jedoch wann der Kauff mit gewisser Maß, condition oder  
 Geding getroffen: Oder so anfangs insonderheit abgeredet wor-  
 den, daß die Kauff-Bergleichung in Schriften beschehen, und  
 verbündlich aufgerichtet werden solle, so mag jeder Theil, ehe  
 und zuvor solche condition und Geding vollzogen, oder die  
 Schrift aufgericht, besiegelt, und allerding gesiertigt, wohl wie-  
 derum davon stehen: ob schon zu anfangs nicht austrücklich be-  
 dingt, daß sonst der Kauff nicht gelten solle. Doch wo ein  
 Arrha oder Hafft-Pfennig auf den Kauff gegeben, oder Wein-  
 kauff getrunken worden, soll der Käuffer, so er abtreten will,  
 den Hafft-Pfennig verloren haben, wie denn auch den ganzen  
 Wein-Kauff allein bezahlen. So aber der Verkäufer begehr-  
 te vom Kauff abzustehen, soll er dem Käuffer, neben Bezahlung  
 des Wein-Kaufs den Hafft-Pfennig doppelt wieder hinaus zu  
 geben, und zu erstatten schuldig seyn, und von unsern Amtleuten  
 darzu angehalten werden. Wo aber beyde Theil sich nicht allein  
 des Kauff-Schillings halben mit einander vereinigt, sondern auch  
 das erkauftte Gut dem Käuffer überantwortet, und zu handen ge-  
 stellt; soll der Kauff für krafftig und beständig gehalten werden,  
 also, daß kein Theil mehr davon abtreten kann, es habe gleich der  
 Verkäufer das Geld schon darum emfangen oder nicht. Secun-  
 dum pertinet ad addictionem in diem, cuius duplicitem na-  
 turam sub conditione videlicet vel suspensiua vel resoluti-  
 onia eiusque effectus postquam retulisset, tit. 11. subiungit:  
 Was aber einer einmahl in Aufschlag erhalten, und ihm heimber-  
 kennt, da er den Hafft-Pfennig gegeben, oder Wein-Kauff dar-  
 über getrunken worden, soll ihm auch bleiben, und ferner kein  
 Aufschlag darüber geschehen. Tertium agit de necessaria in-  
 sinuacione venditionis bonorum immobilium intra quin-  
 decimum tit. 13. vbi haec addit: Da aber die insinuation  
 noch nicht beschehen, und vor Verfliessung der vierzehn Tagen  
 dem einen oder andern contrahenten der Reu-Kauff ankommen,  
 soll zwar demselben von dem Contract wieder abzuweichen, doch

F 3

gegen

gegen Verlehrung oder respectivae doppelter Erstattung des Haffts  
Pfennigs, und Bezahlung des Wein = Kauffs (wie oben bei dem  
9. Titul, §. doch wo, fol. 27o, gemeldet) übernommen seyn.  
Aber nach Verfließung der vierzehn Tagen soll keinem Theil von  
abgeredten Contracten abzuspringen zugelassen, sondern solche  
Contracte (ungeachtet unterlassener insinuation) allerdings für  
kräftig gehalten, und noch insinuirt werden.

§. LXVIII. Quid disponere voluerit his capitibus autor  
Iuris Würtembergici, fatemur ut in aliis capitulis plurimis,  
ita & hic nos ignorare. Id quidem nobis constat, in id in-  
tendisse eum in tota sua compilatione, ut mores Germani-  
cos supprimeret, contra Ius Romanum & sententias Glo-  
satorum eucheret, idque habuit cum plerisque aliis compi-  
latoribus Legum prouincialibus commune, simul tamen  
deprehendimus eum non habuisse donum perspicuitatis &  
iudicii multi, vt mentem suam dilucide exprimere, & an-  
tecedentia cum consequentibus bene connecctere potuerit,  
quare necessarium fuit, vt, si in villa prouincia certe in Du-  
catu hoc in praxi orta fuerit post hanc iuris compilationem  
incertitudo & carentia connexionis non parua, nisi eius  
Iuris interpres commentariis suis aut Principes nouellis  
constitutionibus eos nauios sustulerunt. Speciminis loco  
dicta nostra confirmabunt ea, quæ Lauterbachius in *disputa-*  
*de arrha* §. 115. seq. de sensu capituli primi & tertii §. *præced.*  
*adscripti* commentatur, & ex eo repetit *Dn. Schilser a. Exerc.*  
30. §. 40. quæ an omnibus satisfactura sint, nescimus: Nobis  
certe multa dubia restant, quæ non interest hic apponere,  
cum Ius illud ad nos non pertineat.

§. LXIX. Inde etiam recensebimus saltem iura alia-  
rum prouinciarum Germaniæ huc pertinentia, quæ ab aliis  
huc referri solent. Ita in statutis Hamburgenium  
*Part. 2. tit. 8. §. 10.* Ein Kauff und Verkauff kann in dieser  
gu-

guten Stadt auch wohl ohne Gottes · Pfennig beständiglich ges-  
troffen werden, wann aber derselbe ergangen, ist der Kauff da-  
durch desio mehr beträftiger. In Iure Lübecensi anno 1586.  
reviso tit. 6. §. 6. Wenn einer auf gethanen Kauff, Pact,  
Miete, oder Dienst den Gottes-Pfennig oder arrham giebt,  
so ist solches alles krafftig, es wäre denn, daß alsofort, bald und  
ehe sie sich scheiden, in continenti, die arrha wiederum zurück  
gegeben oder gefordert würde. An & h[ab] reuissores recte reddi-  
derint & explicuerint lus antiquum Lubecense, ipsi videant.  
Ego dubito, ob mox dicenda. Ita vero legitur in collectione a  
Ioachimo Kollio eodem anno 1586. Hamburgi edita art. 109.  
Wel den anderen giff einen Gades-Pennink, up einen Koep, dat  
n̄t also siele, alse hebbe he den Wyn-Koep gegeben, vdt sy  
denne, dat erer einer den Pennink wedder geve, eber de ander  
synen wedder eschede, ehe dat se syck ganz tho einem ende schede-  
den. In veteri Reformatione Wormatiensi, impressa anno  
1513. libr. 5. tit. 1. postquam dispositum fuisset, quod bona  
immobilia, si vendantur, venditio non aliter effectum ha-  
bere debeat, quam si contractus in scripturam redactus, &  
in iudicio confirmatus fuerit, additur: doch so Wein · Kauff  
oder ein Goz · Heller, das man nennet arrham, auf den Kauff  
gegeben wäre: will dann der Kauffer abtreten, soll er verliehren  
den ausgegebenen Wein · Kauff oder Goz · Heller. Will aber  
der Verkäufer hinter sich, und den Kauff nicht halten, der soll  
zweifältigen Wein · Kauff, oder den entpfangenen arrham her-  
auszugeben schuldig seyn, und aus Richters Amt darzu gehalten  
werden. Ineptam plane hic esse applicationem iuris Roma-  
ni de duplicatis arrhis reddendis a venditore ad redditionem  
des zweifältigen Wein · Kauff etiam patebit ex mox dicen-  
dis. Longe conuenientius natura rei & moribus Germani-  
cic sunt ea, quæ leguntur in Chur · Pfälzischen Land · Recht  
Part. 2. tit. 7. §. 21. So ein Kauff beschehen, und der Kauffer  
darauf Weinkauff · Geld oder Gotts · Pfennig angegeben hätt, aber  
solcher Kauff hernacher zerschlagen, und nichtig erkannt würde,  
soll

soll solch Geld wieder erstattet werden. Cum Iure Wormatiensi tamen conuenit Ius Borust. lib. 4. tit. 6. art. 7. §. 3. So ein Kauff beschehen, und Wein + Kauff, wie gewöhnlich zu geschehen pfleget, darüber getrunken, oder ein Hassf. Pfennig, das man arrham nennet, auf den Kauff gegeben wäre: So denn der Käufser abtreten wolte, soll er den Wein oder Lei + Kauff oder Hassf. Pfennig verloren haben. Wo aber der Verkäufer begehret vom Verkauff zu stehen, oder den nicht halten wolte: So soll er dem Kaufffer den Wein + Kauff oder arrham und Hassf. Pfennig doppelt heraus zu geben, und zu erstatten schuldig seyn, und aus richterlichen Amt zu dazu gehalten werden.

§. LXX. Valde laborat equidem Dominus Schilter d. Exerc. 30. th. 35. § 39. vt ostendat, hanc ultimam dispositionem Iuris Prussici non concedere poenitentiam contrahentibus, si datae sint arrhae post emitionem perfectam, sed æque facile potest sententia opposita defendi. Quod enim de compilatore Iuris Württembergici modo conquisti sumus, id etiam de multis aliorum Iurium prouincialium collectoribus & autoribus dolendum est, laborasse eos obscuritate, & infausto studio conciliandi cum Iure Romano mores patrios parum intellectos, vnde factum, vt dum iuris incertitudinem tollere voluerant, eam auxerint, & miscendo res diuersissimas magis intricatam rediderint iurisprudentiam, quam iam erat antea ex artificio Tribonianii. Ut rem exemplo declaremus, puto plerasque difficultates, quæ in intelligendis capitulis legum provincialium Germaniæ, de arrhis disponentibus oriuntur, deberi confusione rerum diuersissimarum, dum arrham Romanorum & aliarum gentium modo appellant Hassf. Geld, modo Wein + Kauff, modo SÖttes Pfennig, modo Leyh + Kauff, quæ & ideo tanquam synonyma arrha posuit B. Lauterb. d. disp. de arrha th. 6. cum tamen haec sint distinctissima.

§. LXXI.

§. LXXI. Scilicet Germani nostri usurabant olim aliquid affine arrhae, ab ea tamen in effectibus quibusdam diuersum, quo vtebantur partim ad probandam perfectio- nem emtionis, partim ad confirmandum contractum. Vel enim dabant plerumque uterque contrahentium sanctum aliquem denarium in signum emtionis perfectae, eum in finem, vt in cistam publicam templorum, qui dicuntur Gottes Kasten, Schedula in testimonium contractus cele- brati apposita, recondetur. Vnde etiam appellatur der Gottes Pfennig, vid. Besold. Thesaur. Pract. voce Arm- sagt. Vel dabant aliquam pecunia sumam post emtionem perfectam, ad combibendum cum amicis in testes emtio- nis perfectae adhibitis, quod appellabatur der Weinkauf. Huc pertinet, quod excerptum ex iure prouinciali Comita- tus Solmensis Noa Meurer in der Liberey keiserlicher auch Deutscher Nation Land- und Stadt-Rechte P. II. f. 37. Wenn auch solcher Verkauff oder kauff also geschehen und geschlossen ist, so mögen Verkäufer und Käufer samt ihren guten Freunden, so bey dem Kauff gewesen, darüber den Wein-Kauff halten, doch nicht übermäßiglich, sondern bescheidenlich, als von zwanzig bis in vierzig Gulden ein Orth eines Gulden, von vierzig bis in 80. Gulden zwey Orth, von hundert drey Orth, von zwey hunderten anderthalben Gulden, und also fort an, doch je höher die Kauff-Summa, desto weniger nach Anzahl auf und nieder zu rechnen, und soll hierinnen zumahl kein Gefahr noch Aufschlag, dem fünftigen Abtreiber damit zu beschwehren, und die Rechnung alles Un- kostens über ihn zu machen, gebraucht werden. Da auch hierüber der Unkost des Wein-Kaufs gefährlicher Weise überschzt würde, so soll der fünftige Abtreiber sich dessen vor Gericht zu beklagen, und gebührliche richterliche Mäßigung darüber zu begehrn, Macht haben.

§. LXXII. Ex his patet, quænam sit differentia inter sacram denarium illum ac summus bibales illos Germano-  
rum  
G

rum & arrham Romanorum. Dabantur denarius sacer ac sumptus bibales quidem in signum perfectæ emtionis, sed ut iis datis non recedere licet ab emtione (quod minor negasse Lauterbachium *de arrha th. 85. & 87.*) item ut emtione adimpta hæc symbola non redderentur dantibus. Quodsi vero ex iusta causa rescinderetur contractus, aut mutuo dissensu recederent ab emtione, vel aliquis Iure retractus vteretur, vel nihil reddebat, sed vterque contrahentium perdebat, quod dederat, vel si quid redderetur, reddebat saltem simplum, non duplum. Hoc enim postulat natura negotii, quia neutrum horum lucrabatur alteruter contrahentium. At arrhæ dantur, ut ad impleto contractu eæ reddantur, vel in pretium imputentur. Si non adimpleatur contractus, ut arrhæ sint lucro eius, qui recedere nolit, quodsi vterque recedat, tum etiam redduntur arrhæ. Quare illa symbola Germanorum, si quandam affinitatem cum moribus Romanorum habent, videntur potius comparanda cum nundinis aut nundinariis epulis, de quibus agit famosa illa lex 66. ff. pro socio (*Conf. Lauterbach. d. th. 87.*) quam cum arrhæ datione. Ut adeo diserte constet, quam confusionem in Iurisprudencia Germanica pepererit ista confusio vocum, dum compilatores legum provincialium synonymice usurparunt arrham, den. Gottespennung, & den Weinkauf.

§. LXXXIII. Non minor confusio des Weinkauß und Leutkauß in Iure Würtenbergico Part. 2. tit. 16. cap. Den obligation, Anerbietung, wie auch Hinterlegung des Kaußschillings in princ. Est antiqua vox quidem Germanica, quæ Leykauß dicitur. Putarunt igitur collectores Würtenbergici eam dici quasi Leutekauß, quod videlicet plures testes in symposiis illis affuerint. Posset forte melius dicere, istam pecuniam ad symposia datum dici Leykauß, quod exhibita sit in vsum Laicorum, vel Laicum, vti der Gottespennung datus

datus fuit in viuum sacram vel Clericorum. Sed verosimilius den Leykauff fuisse aliquid & ab arrhis & a Weinkauff valde differens, quod agnoscat ipse Lauterbachius d. l. §. 86. Differt arrha ab illo pretii additamento, quod plerumque vxori vel liberis venditoris datur, & communiter appellatur was in den Rauff geben. Hoc enim non in contractus probationem, sed tanquam pretii additamentum uxori & liberis praestat, ut qui postea illius rei usu carere coguntur, illam eo libenter dimittant. A quibusdam etiam vocatur Leykauff. Forte sic dictum fuit, quod interueniret saltem, si vendor sit Laicus, nam Clerici non habebant vxores vel liberos. Quamuis & pro priori acceptione, ubi Leykauff & Weinkauff synonymice usurpantur, posset allegari ista abrogatio corrupti moris antiqui in Electoratu Saxonico, quo olim custodes templorum adstriicti erant, daß sie jährlich von ihrem Dienste 2. 3. oder vier Scheffel Korn, welches Nothkorn genennet wurde, oder etwa einen Gulden zum Leykauff der Gemein haben geben müssen, zum Scheine, als solte der custos von neuem gemietet und besiellet werden, welchen Abzug denn die Gemeine verslossen hat. vid. Lusts Repertorium voce Kirchner p. 582. Quicquid sit: uterque significatus ostendit, Leykauff & arrham insigniter differre.

§. LXXIV. Puto etiam, illam pecuniam, quæ in emtionibus pretio addita fuit, & cessit vxori venditoris, dictam fuisse Hassfeld, vel Hassfennigfeld, quasi quod datur vxori ad emendas ollas, vel quod iniciatur ollis culinarum, quarum curam gesserunt vxores Germanorum. Nam & hodie idem solet appellari simili significatu Herdgeld. Hinc valde aberrat Wehnerus in obseruationibus sub voce Hassfeld, Hassfennig, qui eam exponit per arrham. Quod videntes ac obseruantes scriptores Wehnerum subsequentes, intempestive vocem hanc correxerunt ac mutarunt in Hassfeld. Vide speculum Speidelii voce Hassfeld,

geld, vbi in noua editione ad marginem citatur iste locus Wehneri. Inde etiam Ius Würtenbergicum arrham vocat das Haftgeld. Sed dubito, an vnquam veteribus terminus des Haftgelds in vsu fuerit.

§. LXXV. Quomodo igitur Germanice reddemus arrham? Certe non conuenientius videtur exponi posse quam per verbum Neukauß, quod adeo per dicta hactenus insigniter differt a Weinbauß, Gottespfennig, Leybauß, Haf-geld, Herdgeld. Sane Meuius citatus Dn. Hoppio ad pr. Inst. de Emt. eo inclinat & recte. Nec obstat, quod Neukauß promittatur saltē, arrha vero detur, quod vrget Lauterbach d. l. th. 77. Poterat enim ipse sibi respondere, si distinxisset inter bedingen und gegebenen Neukauß. Sane aliud est etwas auf den Neukauß gehn, hoc omnino nihil aliud est, quam arrha, aliud den Neukauß bedingen, quæ est pœna conuentionalis emtioni addita, de qua loquitur Responsum Scabinorum Lipsiensium apud Lauterbach. d. l.

§. LXXVI. Vides adeo, quam error errorem traxerit. In hos enim labyrinthos Iuris Romani & Germanici interpretes inciderunt, quod neglecta consideratione iuris Gentium captauerint verba l. 17. C. de fide instrumentorum, cuius occasione hanc digressionem fecimus. Quodsi & reliquos errores in doctrina de arrha commissos eadem methodo tractare vellemus, & charta & otium nos deficeret, igitur reliqua notabimus saltē breuissimis.

§. LXXVII. Vtrum arrhæ datio sit contractus nominatus, an innominatus, late disputant Doctores Iuris Romani, quorum argumenta refert Lauterbach. d. l. th. 31. usque ad 23. Quæstionis ansam dedit incognititia Iustiniani in d. l. 17. initio C. de fide instrum. Recte quidem notat Lauterbachius, cam quæstionem plane esse frustraneam, cum arrhæ

rhæ datio plane non sit contractus. Addo etiam, esse inutilem, cum differentia inter pacta & contractus, inter contractus nominatos & innominatos in Germania quoad effectum non habeat usum.

§. LXXVIII. Pariter superfluam esse putamus diligentiam Lauterbachii, qui th. 25. usque ad 29. multas collegit definitiones arrharum. Datio arrharum varia est, & varios modos habet. Hæc vero difficilime definiuntur. Porro datio arrharum & modi diuersi dandi magis in sensu incurunt. At quæ sensibus percipiuntur, definitionibus magis obscurantur, quam illustrantur, quod vel exemplo motus eiusque definitionis sive Aristotelicæ sive Cartesiana patet.

§. LXXIX. Recte vero reiicit Lauterbachius distinctionem arrhæ, dum quidam Doctores aliam volunt esse probationem emtionis, aliam partem pretii. Hæc enim ultima species spuria est. Sed pariter spuria est diuisio illa, quam probat Lauterbach. th. 36. in arrham negotii perfecti & perficiendi. Nam & hæc posterior in cerebro glossatorum natæ est.

§. LXXX. Recte notat Lauterbachius th. 30. seq. eorum errorem, qui putarunt non posse reciproce dari arrhas ab emtore & venditore, &c. Interim non multum prodest in praxi sollicite disquirere, an mutuo dari possint, cum rarissime mutuo dari soleant, sed fere semper solus emtores det.

§. LXXXI. Putamus etiam, superuacaneum esse, ex legibus probare velle, quod quis arrhas & dare & accipere possit per alios, quod tamen cum cura facit Lauterbach. th. 44. Nam quis ea de re dubitat?

§. LXXXII. Multa etiam de rebus, quæ in arrhas dari possunt, notant, subtiliter magis, quam utiliter. 1. Requirunt, ut res sit in commercio. 2. ut sit dantis propria. 3. ut sit corporalis. 4. ut sit fungibilis. 5. ut mobilis. *Vid.* Lauterbach. th. 55. seq. Circa primum distinguo: Res extra

commercium dari potest in probationem emtionis perfectæ; habetque effectum pœnitentiaæ, sed non securum reddit accipientem, cui tamen satisfaciendum erit aliter a dante. De secundo eadem notanda, nisi quod hic haud dubie transferatur conditio vsuapiendi. Quatum recte reiicit Lauterbachius. Quoad requisitum tertium & quintum eadem monenda sunt. Neque enim usquam prohibitum est res incorporales & immobiles in arrham dare, sed tamen mores & natura negotii fere repugnant, certe de vtraque specie vix casus dabilis est. Ut mirer Lauterbachium §. 56. & 60. saltem de quinto requisito ista monuisse.

§. LXXXIII. Idem Lauterbachius *ib. 68. seq.* circa questionem: an valeant arrhæ promissa saltem, & nondum traditæ varie distinguit. 1. inter sponsalia & reliqua negotia. 2. an promissio fiat stipulatione, an pacto adiecto. 3. an pactum adiiciatur in continenti, an ex interuallo. Nos questionem hanc & eius resolutionem putamus non magni esse usus, partim, quia contra mores Gentium & intentionem, ob quas arrhæ datio inuenta est, est arrhas saltem promittere, partim, quia ex pacto quolibet ex moribus darur actio.

§. LXXXIV. Diximus supra ex pacto de vendendo non dari actionem, nec hodie ob naturam negotii. Tractat eadem questionem & Lauterbach. *ib. 103. seq.* ac in resolutione eius nobiscum sentit, sed rationes eius sunt infirmæ, & parum concludentes. Ideo enim eam afferit: quia Ius ciuile hac in parte nulla generali Imperii lege sit mutatum, illud veterum legum regulis relictum esse intelligi *I. 32. §. fin. ff.* de Appellat. (Hæc ratio falso supponit Ius Iustinianum regulariter obligare Germanos, aut id unquam in uniuersum fuisse receptum, quod historiæ repugnat. Ergo dissentientes hic meliori iure vrgere possent, debere probare Lauterbachium, ius Romanum hoc intuitu esse receptum.) Pergit: quod hodie ex nudo pacto detur actio, id non procedere in pactis contractuum præparatoriis; eo ipso enim, dum par-

tes

tes paciscantur de contractu incundo, simul eos dicere, quod eo pacto se efficaciter obligare nolint: (nulla hic est consequentia, v. g. promitto tibi, quod velim mutuo dare centum, ergo nolo esse obligatus ad ea danda, quia nondum est mutuum. Confundit hic Lauterbachius pacta preparatoria contractuum consensualium, & pacta preparatoria reliquorum contractuum.) Hinc ait, si duo de rébus permutandis conuenerint, re nondum tradita, utrumque & hodie poenitere posse. Ita & docere Carpzonium, eumque adducere etiam responsum Scabinatus Lipsiensis, atque etiam hic sentire ius Würtenbergicum, (sed & hoc falso est, etiā Carpzonius id statuat & ius Würtenbergicum. Non autoritate pugnamus sed rationibus. Carpzonium hic dudum refutavit Illustris Strykius de cautel. contract. sect. 3. c. 5.)

§. LXXXV. Etiam a conditionali emtione recedi potest cum dispendio arrharum, si date sint, siue pendeat conditio siue impleta sit. Idque ex nostra sententia nullum habet dubium: si enim a pura emtione recedi potest, multo magis a conditionali. Consentit quoad potestatem recedendi pendente conditione nobiscum ius Würtenbergicum in loco supra descripto. Dissentit Lauterbach. d. l. th. 119, ex falsa scilicet hypothesi, ac si saltē cum dispendio arrharum recedi possit ab emtione imperfecta. Tota quæstio rarissimum videtur habere usum, cum vix admittat natura arrharum, ut detur in emtione conditionali.

§. LXXXVI. Idem sentiendum de quæstione, ad quem periculum pertineat, si arrha apud accipientem perierit, & quam culpam præstare teneatur, quam tractat Lauterbach, th. 124. Vti enim doctrina illa intricatissima de culpis non magnum habet usum in praxi: ita cum arrha detur plerumque in pecunia & quantitate, etiam hic frustranea est quæstio de periculo, cum quantitas non intereat. Si tamen corpus datum sit, & dans velit recedere a contractu, res perit accipienti; si dans seruet contractum, aut accipiens velit recedere,

dere, arrha data sine culpa accipientis perdita, perit danti.  
Res plana ex communibus iusti & æqui regulis.

§. LXXXVII. Frustranea etiam est quæstio, quam tractat Lauterbach. th. 163. seq. An si data sint arrhae in venditione, quam partes voluerunt in scriptis celebrare, liceat ante scripturæ absolutionem impune recedere ab emtione, an vero arrhae amittantur? Prius defendit Vmnius, posterius Lauterbachius. Nostra non interest, quænam sit verior, imo neutra earum nec vera est, nec falsa, quia utraque supponit conditionem non dabilem. Quippe iam supra ostendimus, quod dari non possint arrhae eo casu, si partes conueniant, ut emtio in scriptura celebretur.

F I N I S.







X2424203



T.PR  
eatu  
lla ir  
i: it  
tiam  
n int  
con  
ut ac  
per  
qui

ane  
7.  
inti  
mpu  
riu  
no  
ra e  
bil  
po  
, u  
lelel



Farbkarte #13

|             | Blue | Cyan | Green | Yellow | Red   | Magenta | White | 3/Color | Black | B.I.G. |
|-------------|------|------|-------|--------|-------|---------|-------|---------|-------|--------|
| Inches      | 1    | 2    | 3     | 4      | 5     | 6       | 7     | 8       | 9     | 10     |
| Centimetres | 2.54 | 5.08 | 7.62  | 10.16  | 12.70 | 15.24   | 17.78 | 20.32   | 22.86 | 25.40  |

DISSESSATIO IURIS GENTIVM PRIVATI,  
DE 1702 54 d 25  
ARRHIS  
EMTIONVM,  
Vom  
Fauff - Schillinge oder Hassf-  
fennige.  
PRAESIDE  
DN. CHRIST. THOMASIO, ICto,  
POTENTISSIMI REGIS BORVSSIAE AC REVEREND. ET SERENISS.  
DVCIS SAXO-NVMBVRG. CONSILIARIO RESPECTIVE INTIMO, PROFESS.  
IVR. ORDIN. ET FACVLT. IVRIB. h. t. DECANO,  
IN ALMA FRIDERICIANA,  
IN AUDITORIO MAIORI,  
PVBLICE DISSESVIT  
Ad D. IX. Septembr. 1702.  
H. L. Q. C.  
JOHANNES CHRISTOPH. ALBRECHT,  
Rotenburgo-Tuberanus.

Recusa, HALAE MAGDEBURGICAE,  
TYPIS CHRISTIANI LUDOVICI SYMPHERI, ACAD. TYPOGR.

1740.

(7)